1st ed
Alden Landis 602/24
BM 17th cent. Ital. 177

The John Carter Brown Library

Acquired with the assistance of the

LYMAN G. BLOOMINGDALE BOOK FUND

DE LIGNO SANCTO COMMENTARIVM

In quo præcipuæ qualitates eius & facultates omnes exacta diligentia exprimuntur, ex illiſq; lignum quoddam, quod nuper in Italiam delatum eſt, pſeudolignum ſanctum eſſe, & nullo modo verum, eius Fautoribus accurato examine demonſtratur.

DEMETRIO CANEVARIO
PHILOSOPHO, ET MEDICO
PATRICIO GENVENSI
Auctore.

AD
PAVLVM AEMILIVM
S. R. E. CARDINALEM
S. MARCELLI ILLVSTRISSIMVM

ROMAE, Apud Guillelmum Facciottum. 1602.
SVPERIORVM PERMISSV.

RPJCB

PAVLO AEMILIO S· R· E· CARDINALI S. MARCELLI ILLVSTR.^{MO}

Demetrius Caneuarius Philoſophus, & Medicus fœlicitatem.

PSEVDOLIGNI ſancti nuper in Italiam & Romam potiſſimum delati a me confectum examen, ſaneq; euidentioris aſſequendę veritatis ergo Doctorum virorum iuditio ſubijciendum, Typis tãdem hoc ipſo Commentario excuſſum in lucem exiens, tuo (Paulę Aemili Cardinalis Illuſtriſſimæ) auſpicato nomini dicandum conſecrandumq; iure decreui: tibi inquam prudentiſſimo Principi, cui rerum publicarum ſumma ſemper cura fuit, ſumma ſemper ſolicitudo; quippe in quo ſumma ſunt omnia & ſingularia, eximia probitas, fides, innocentia, integritas, conſtantia, humanitas, inge-

nium acerrimum, omnium diſciplinarum præcipuèq; ciuilium cumulus, ſumma prudentia, plurimus rerum vſus, admirabilis rebus in omnibus ſapientia, maxima deniq; virtutum omnium ornamenta; Quorum certe omnium veritate & cauſa Clemens Octauus Pōtifex prudentiſſimus te ſacra donatum purpura, ampliſſimaq; Cardinalatus dignitate, ſumma omniũ bonorum lætitia, exornatum, grauiſſimis Reipublicæ præeſſe negotijs continuo iubet. Et quamquam primo quoq; intuitu, rei viliſſimæ, humiliſſimæq; nempe ligni, meum hoc examen cuipiam fortaſſe creditum, nec perinde tanto Principe dignum, nobiliſſimũ attamen & eximium eſt, ideoq; vni Reipublicæ patrono iure donandum, quod porro factum, vt detegatur fucus ac fraus ea, quam callidi & vafri mercatores aliquot, proximis præteritis menſibus, aduerſus ſanctiſsimum Americanum lignum, ſummo cum Reipublicæ & miſerabilium pręſertim ægrotantium detrimento, doloſo molliri animo aggreſsi ſunt; quippe ligno vero, ſi fieri potuiſſet, pſeudolignum ſubſtituentes, quantum nobis detrimenti eſſent allaturi, ſi quis vtilitatem & neceſsitatem ligni veri aptè perpenderit, intelliget facile, & mille demum

gratias

gratias fallaciam vel impoſturam aperientibus demonſtrantibuſq; habebit perpetuo; contra fautoribus atq; tutoribus, pietate ſaltem Chriſtiana fretus, ſpiritum reſipiſcentiæ depræcabitur, quo conſcientiæ ſcilicet iniuriarum, ſeu ſpina, confixi, inedia, labore, ac lachrimis eluant, quæ peccant iniquiſſime. Ergo tibi Princeps Illuſtriſsimæ, cui incredibilem Reipublicę amorem ineſſe omnes libenter agnoſcunt & vnanimiter prædicant, noſtrum hoc de ligno ſancto Commentarium, in quo pſeudoligni examen continetur, quo idipſum aliud prorſus lignũ eſſe a ligno ſancto vero eius fautoribus demonſtramus, meritiſsime conſecrantes, ſemel atq; iterum ſuplices exoramus, vt vel aliquando dum à grauiſsimis expeditus negotijs extiteris, illi pro tua benignitate gratas aures adhibeas; Ita enim commode nulloq; labore intelliges, quam validis, & firmis rationibus, pro ſola veritate certantes, pſeudolignum hoc lignum ſanctum verum eſſe improbemus; quoniam demum hinc re tota plenè iam agnita, te noſtrarum partium patronum egregium futurum non dubitamus; ſimulatq; rem tanti momenti, interconſulendum Principi, Clementi inquam Pontifici clementiſsimo,

pijſsimoq; aliquãdo aperiturum detecturumq; vt ipſe tandem quantis in errorum tenebris, ſummo omnium ægrotantium detrimento, verſentur illi, qui pſeudolignum hoc vel adhuc planè non agnoſcunt, vel obſtinato, aut doloſo animo, verum lignum ſanctum eſſe confitentur, intelligat, ſimulatq; ſua prudentia Reipublicæ indemnitati proſpiciat & conſulat. Vale.

COM-

COMMENTARII ARGVMENTVM.

CVM proximis præteritis menſibus, quorundam impoſtorum mercaturam exercentium calliditate, lignū quoddam primo quoq; aſpectu ligno Guaican, quod ſanctum dicimus, ſimile, in Italiam, & Romam potiſſimum delatū fuerit; illudq; Medici nonnulli parum prudentes & ad pauca reſpicientes lignum Guaiacan ſanctum vè eſſe ſupinè nimis confeſſi ſint; quin imo doloſe ne, an alia occaſione nacta, io pæan, io triumphe; id ipſum lignum lignum ſanctum verum eſſe, & illo ſanè, quod antea intercurandos morbos vſu venire ſolebat, omnino melius, mordicus in populum promulgare auſi ſint. Merito per eadem tempora Romæ non deſuere meliores & prudentiores Medici, qui fucum & fallaciam agnoſcentes, idipſum lignum pſeudolignum ſanctum eſſe & nulla ratione verum; quin imo, quod magis eſt, ægrotantibus noxium ac ſummopere aduerſum, demonſtrare conati ſunt. Et hinc tandem inter ipſos orta controuerſia eſt, quippe vt illi iam per imprudentiam ſuam ſemel expreſſam opinionem ſuſtinerent, primum plures ligni ſancti ſpecies eſſe, atq; ſanè differre lignum ſanctū a guaiacan natura, quidditate, ac deniq; ſpecie, tum ex male percepta melioris hiſtorici mente perſuaſi, tum demum quorundam

Medicorum, licet in multis de re medica optime meritorum, in hoc tamen per ſummam rei ignorantiam abſurda ſcribentium, auctoritate perterriti, ſibi veriſſimum propoſuerunt; Ac propterea lignum nouum verum lignum ſanctum eſſe, quod non paucis ab hinc annis ad nos deferri deſierat, opinati ſunt; perindeq; illud non omnibus ita facile cognitum, ac iure ob eius meliores conditiones à guaiacan, quo communiter vtimur, longe diuerſum eſſe voluerunt. Ita profecto alij tum ex aptè perceptis hiſtorijs, tum melioribus & euidentioribus rationibus, per ſummam ingenuitatem, vera & libera philoſophandi methodo perſuaſi, oppoſitum conſtantiſſime aſſeuerarunt; vnamq; eſſe ligni ſancti ſpeciem, neq; vſquam gentium differre poſſe lignum ſanctum a guaiacan, & ferè ſemper lignum verum ad nos delatum, ſola vulgi appellatione, modo inquã ſancti, modo guaiaci nomine varium pronuntiarũt; Simulatq; lignum nouum cum omnino a ligno vero communiter recepto, proprijs qualitatibus, & tandem natura, ac ſpecie diſtet. non niſi pſeudolignum ſanctum eſſe, fallaciamq; & fucum mercatorum habendum meritò voluerunt. Et quamuis nonnulli meliori forſan ingenio præditi, vnãq; ideo ligni ſancti ſpeciem aſſeuerantes, pſeudolignum hoc a ligno ſancto vero nonniſi vel natiuæ terræ diuerſitate, vel ligni ſaltẽ ætate omnino aliud apparere voluerint; quamquam re vera ſpecie, & forma ſiue natura a ſancto ligno vero minime diſtat: Interea nihilominus hæc ipſa illis viſa ſubterfugia a peritioribus his Medicis euidentiſſime abrogantur. Et licet

huiuſ-

huiuſmodi nõ obſiſtentibus, ſuas illi mordicus tueantur partes, ex quo effectus innumeros, innumeraq; experimenta in ægris vltra mille palam obſeruaſse prædicent; Verbis attamen eorum futilibus vaniſq; hi qui oppoſitum tantummodo verum eſſe dicunt, nec credendum prorſus aſseuerant, ſed nec præbendas aures eſse iure perſuadent; quoniam ſi quid boni videre illis aliquando contigerit, idem omnino caſu factum, cum ex ratione potius malũ noxiumq; ægris futurum apertiſſime demonſtrent. Atq; re ſic ſe habenti, placuit auctori, horum nouum ſcilicet lignum impugnantium ſententie, vt pote rationi plurimum conſentanee, aſsentiri: ſed quod temere ſibi illud factum calumniatores imponerent, ea ideo omnia, quæ iam pridem mente ipſe conceperat, voceq; aliquando expreſserat, ſcriptis mandare coactus eſt. Peritiorum autem Philoſophorum & Medicorum iuditio ſubijcienda eſse eadem voluit, quod ingenue ſemper ille philoſophatus, omniq; gentium auctoritate ſpreta, veritatis aſsequendæ gratia, meliores tantummodo & potiores ſit libenter rationes amplexurus.

INDEX CAPITVM QVAE HOC COMMENTARIO CONTINENTVR.

AD Commentarium Præfatio.

Ex quibus auctoribus vera ligni ſancti, quod & guaiacan dicimus, deſcriptio ſit colligenda. Cap. I.

Quod eiuſdē ligni Sancti Guaiaci vè vna ſit ſpecies & nullo modo plures vt aduerſarij opinati ſunt, ex oculatis teſtibus, & fidis hiſtoricis demonſtratur. Cap. II.

Doctores, quorum auctoritate aduerſarij ſuam de multitudine ſpecierum ligni ſancti opinionem mordicus tueri conati ſunt, per ſummam imprudentiam ligni ſancti hiſtoriam à veritate longe diuerſam enarrauiſſe. Cap. III.

Quod demum vnica ſit ligni ſancti guaiaci ve ſpecies & non multiplex, ex meliorum etiam Philoſophorum & Medicorum communi conſenſu, indicatur; & poſt multa qualis eiuſdem legitima ſit deſcriptio, paucis enarratur. Cap. IV.

Quod lignum nuper in Italiam & Romam potiſ-

ſimum delatum pſeudolignum ſanctum ſit & nullhactenus verum, ex proprijs, ſenſatis, & veris ligni eiuſdem naturam conſequentibus notis, demonſtrandum proponitur. Cap. V.

Præmittitur autem imprimis, ex ligni conſtitutione ac temperamento præcognito, ad proprioſque gradus iuſte deducto, facile licere (ſublatis omnibus difficultatibus) in rei propoſitæ deuenire notitiam. Cap. VI.

Præmittitur adhuc ſecundo, ligni temperamentum quoduis certis conſtitutum gradibus, ex eiuſdem ligni tactilibus qualitatibus, & præterea ex ſapore, parum verò ex odore, at ex colore & aſpectu omnino minus, aſſequi poſſe, & qua ratione id commode fiat. Cap. VII.

Ex præmiſſis palam demonſtratur intentum, lignum nempe ſanctum, guaiacan vè verum, ſpecie & natura longe differre a ligno nouo, nuper ſcilicet in Italiam & Romam potiſſimum delato; Sumpto etiam principio ex vtriuſq; ligni colore, & aſpectu, demum ex odore, tertio ex ſapore, & vltimo ex tactilibus qualitatibus proprijs. Cap. VIII.

Soluitur aduerſariorum obiectio, qua vel ob vnam ſoli natiui differentiam & ligni iam pridem cæſi ætatem, omnem poſſibilem diuerſitatem ſeruare contendunt. Cap. IX.

Repro-

Reprobantur vltimo eorundem aduerſariorum experimenta, quibus coguntur ſui pſeudoligni ſancti comprobare bonitatem, & contra ex arte multa alia facta experimenta in medium adducuntur, quæ rationi conſona cum fuerint, euidenter ligni eiuſdem noui falſitatem oſtendunt. Cap. X.

Finis Indicis Capitum.

DE

DEMETRII CANEVARII

PHILOSOPHI, ET MEDICI PATRICII GENVENSIS

IN COMMENTARIVM DE LIGNO SANCTO,

Aduerſus pſeudolignum ſanctum nuper in Italiam delatum.

Præfatio.

HOC illud vnum nobis Romæ degentibus deerat, vt poſt ſolum inſalubre, aeris pernitioſam intemperiẽ, aquarumq; tum malitiam, tum exundantiam, vnde tot morborum agminibus circonſcepti, tot fluxionibus, deſtillationibus vè paſſim obnoxij, & breuem & morboſam ferè vitam ducimus omnes; vt inquam licet magni Columbi Genuenſis ingenio ſuperiori ſeculo repertis & perluſtratis Americis, ad hæc etiam tempora, inde

inde ſanctum quod dixere lignum ad nos continuo ſolertes detulerint mercatores, quo ſanè tanquam manu Dei, potiſſimo hucuſq; auxilio tuti, longiuſq; quodammodo ſeruati, maximo hoc auguſtiſſimoq; totius orbis Emporio,& Vrbium omniũ verè principe, vita fruimur feliciori; modo vero impietate plus quam internecina tanto auxilio ſpoliaremur; locoq; eius pſeudolignum aliud pernitioſum & virulentum, mercatorum quorundam fraude non leui, ex Septentrione (vt aiunt) vnde tum Orbi, tum Vrbi ſemper omne malum, malo inquam noſtro delatum, ſubſtitueretur. Verùm enimvero, vt in omnibus, ita in hoc euitando malo, Dei omnipotentis prouidentia factum eſt, quod quamquam aliquot ſimili vtentes ligno detrimentum tamen aliquod nequaquam paſſi ſunt, vel ſanè quod ipſi medicamentis aſſueti varijs noxam tulerint leuius, vel quod illud quantitate pauca, multa autem dilutum, elixatum, obrutumq; aqua, attigerint, vt perinde adhuc lateret Anguis in herba, pateret tamen tandem meliorum & peritiorum Medicorum Almæ Vrbis diligentia, ex his, qui illud vſitata ligni conſueti, ne dixerim Guaiacan, ſed verum illud Sanctum tantopere celebratum, ſalutari menſura incauti aliquando vſi ſunt; ex quo nempe vel primo quoq; ingeſtu hi tormenta non pauca deguſtarint, oris præſertim, faucium, & ventriculi, æſtum, incendium, inflammationem, dolores, excoriationes & niſi abſtinuiſſent, deteriora. Verum fateor & veritatis teſtes viuunt adhuc; Viuunt qui morbo laborãtes hoc illo ſolo ligno ſanari ſibi perſuadebant, qui tamen

ex

ex eo detrimenti non parum paſſi ſunt. Viuunt ingenui pharmacopolæ, qui vel vna forſam effigie ligni decepti, de eo bene ſentiebant, cum verò accuratius lignum expenderent fucum & fallaciam eius agnouerunt. Viuunt & doctiſsimi Medici, qui ſolo, vt moris eſſe videtur, pharmacopolarum ſufficienti inter eligenda medicamenta experimento confiſi, bona (vt aiunt) fide, lignum ſanctum verum adminiſtrari, quamquam malorum pharmacopolarum culpa, ſua fide decepti, opinabantur. Ergo hinc merito dubitandi orta occaſio eſt, non quid id ipſum lignum illud ſanctum ſit, quod ad multa iam dicta profliganda mala, & veneream præſertim luē, ſummo ſtudio pharmacopolis parandū iubent Medici, an alterius omnìno & diuerſæ ſpeciei ſit. Qua de re dum inter non paucos controuerſia viget, rogatus vt dicam quod ſentio; En nulli addictus, ſed ſenſum ſequutus & naturam, aliud præterea nihil, illud ſine fuco, ſine iniuria, ſed vnius veritatis amore pellectus, ingenue dixiſſe placuit; idem verò mandatum ſcriptis, Typiſq; tandem excuſſum in publicum exire curaui, vt vel ex hoc maxime agnoſcant omnes me iudicium doctorum virorum omnium non ſolum non ſubterfugere, ſed potius querere ſponte & efflagitare, alacri autem mente, quod volens lubenſq; cuiq; prudenti & docto iure legendum eſtimandumq; offero, ab eo humaniter ſuſcipiendum exoptarem, nec vero pridem detrahere condemnare vè conceſſum, quin meliora prius in Reipublicæ ſalutem palam emiſſerit. Scio equidem multos Criticos Ariſtarcos non deſuturos, ſed hos

ſemper,

ſemper, niſi apertè in ore atq; oculis omnium quod ſentiunt dixerint, flocifaciendos eſſe cenſeo; quod interim certè meliori donatis ingenio veritatem agnitam, firmiſq; munitam rationibus deſcripſiſſe, meritoq; legendam traddidiſſe, rationabiliter iudicem; Quando præſertim methodo meliori orationem meam ſic diſpoſuerim, vt tendioſam lectionem eius cuiquam fore minime verear, quando inquam ligni cuiuſdam fruſtum, quod equidem plantæ nobis ignotæ eſt, fruſto ligni ſancti comparaturus, a vera ipſius ſancti ligni deſcriptione, cuius inquam vnam, nec plures diſtinctas ſpecies eſſe confitemur, ſermonem exordiar, demumque hinc inde, quæ ſenſibus in vtroq; percipiuntur, expendens, diſſimilitudinem tandem omnimodam inter vtrumq; euidenter ipſe demonſtrem, ſolutiſq; aduerſariorum obiectionibus, veritatem luce meridiana clariorem oſtendam.

Caput 1. Ex

CAPVT I.

Ex quibus auctoribus vera ligni ſancti, quod & guaiacan dicimus, deſcriptio ſit colligenda.

QVAMQVAM igitur multi de Gallica lue ſcribentes, de ligno itidem ſancto, Antiquis ignoto, ſermonem habuere copioſum, non omnium tamen ſcriptorum dicta (quantum maxime ad ligni deſcriptionem ſpectat) tanquam veriſsima recipienda ſunt, cum non lignum duntaxat ſanctum verum ad ipſos delatum illi deſcripſerint, ſed adhuc alia plura ipſi ſancto vero ſimillima, eiuſq; aſpectũ, & vires quadantenus æmulantia, ſimul cum ligno ſancto vero connumerarint, examinarintq;, & perinde fortaſſe de ligno ſancto vero confusè, & variè loquuti ſunt; Præſertim quod ex his ſimilibus lignis non pauca (vno Petri Andreæ Matthioli, Vidi Vidij, Nicolai Maſſæ, Matthiæ de Lobel, & Franciſci Alexandrei teſtimonio) ex Calicut etiam Indiarũ Orientis, ex Taprobana, ex Iaua inſulis, addamus ex Ioanne Leone etiam Libiam, Numidiamq; Aphricæ regiones, ad nos ab hinc annis deferri conſue-

uerint, quæ licet (vt veritate coactus Gabriel Fallopius ſcripſit) verum lignum ſanctum nullomodo forent, attamē inter ligni ſancti ab Americis Occidentis delati ſpecies, ſcriptores rem tunc pridem orbi noſtro nouā nondum plene cognoſcentes, veluti ab Antonio Muſa Braſauola de ligno illo rubro Venetijs viſo factum eſt, collocare nitebantur; Interimq; de ſingulis varia ſuo arbitratu excogitantes, confuſionem inter lignum ſanctum agnoſcendum peperere. Quare fuere non pauci, qui Ebenum lignum ſanctum eſſe opinati ſunt, & alij qui Buxo pro ligno ſancto vſi ſunt, alij demum qui aliud, puta Karon Auicennæ, vel Ettalche Aphricanum credidere, quia ad pauca reſpicientes, vel multiplici lignorum aſpectu, decepti ſint. Sed merito nos ſcripta eorum attendemus, qui primum lignum ſanctum verum in Americis, vel ab earum delatum Inſulis, antequam fraudolenter aliud ipſi ſimile ſupponeretur, de facie norunt, eiuſq; conditiones, & vires, tantam ipſius admirati potentiam, accurate examinarunt, ac illius certos effectus tunc pridem in multis palam experti ſunt. Et inter hos, Medicorum omnium conſenſu, Conſaluus Fernandus ab Ouiedo Hiſpanus vir nobilis & doctus, qui in Americanis Inſulis, & illa præſertim Sancti Dominici, Centurio, de facie lignum hoc verum ſe vidiſſe, expertumq; ſe pluries fuiſſe, in Americana ſua Hiſtoria Hiſpanico idiomate ad Carolum Quintum Imperatorem ſcripta, primus ennarrauit. Namq; ex eadem Sancti Domi-

Dominici Inſula, quam dicunt Hiſpaniolam, paulo poſt ipſum repertũ a magno Chriſtophoro Columbo Genuenſi nouum orbem, indeq; luem venercam, gregariorum quorundam militum luxuria, toto orbi noſtro communicatam, lignum hoc nobis ſanctiſſimum, Chriſti miſericordia, delatum eſt, quod incolæ, quibus aduerſus familiare malum, familiariſſimum remedium eſt, Huyacan, nobis Guaiacan, appellare conſueuere. Etſi deinde lignum idem, ex Inſulis alijs, nec non & continenti ipſo, priore præſtantius, validiuſq; ad nos comportatum videatur, quod ob fęliciorem in agendo euentum, maioraq; ex eo habita beneficia, ſanctum lignum ab omnibus abſolutè habitũ, prædicatumq; fuit. Sed vt Conſalui verba omnibus pateant, quibus res tantopere deſiderata omnibus eluceat, ea non pigebit huc attuliſſe, libro enim decimo ſuæ Hiſtoriæ cap. 2. dum plantas admirandæ virtutis ennarrat, de Guaiacan Inſulæ Hiſpaniolæ ita loquitur.

Aſſi que tornando al Guayacan yo le he viſto en eſta y en otra Islas, & tambien en la tierra firme, en la prouincia que los Indos llaman Nagrando, y pues en eſta Isla Eſpannola, ouieron los Eſpannoles conocimiento deſte Arbol, pongole a qui (aunque en otras partes ſe halle) & quiero dezir lo que es muy notorio, aſſi en las Indias, como en muchas partes del mundo, donde le han lleuado tras la miſma enfermedad, para remedio della.

Deinde paulo infra ſubdit.

Es arbol a queſto muy excelente, & innumerables vezes eſperimentado, aſsi en eſtas partes, como en Europa, & donde de aca ſe alleuado para eſta temeroſa enfermedad de las buas.

Verum inferius proprijs notis deſcribens plantam, & lignum ipſum e planta cæſum, hæc duntaxat verba profert.

Tien eſte arbol la corteza toda manchada de verde, & mas verde, & pardillo color, como ſuele eſtar, ò pareſſer vn cauallo ouero, ò rodado, la hoia del es ſemeiante ala del madronno, però eſta es menor, & mas verde, y echan vnas coſas amarillas por frutio, que parezen mo ſi dos altramuzes iuntos el vno a lotro eſtuuiſſen aſſidos por los cantos. Es madero muy fortiſſimo, & peſado mucho, & tiene el corazon quaſi negro ſobre pardo.

At cum nuſquam Conſaluus aliquando de ligno Guaiacan futuram nouiſſet controuerſiam, auarè ideo nimis, puta de re notiſſima, loquutus eſt, & paucas eius ſolum attulit in medium conditiones, nempe eſſe lignum duriſſimum, & grauiſſimum, cuius meditullium quaſi nigrum eſt ad fuſcum inclinans. Quibus nos minime contenti, vltro ſcriptores alios adire neceſſario cogimur, a quibus ſcilicet res alioqui nos latens Europeos, tandem ſi liceat clarius elucescat. Neq; enim in hoc nos peccare dicent aduerſarij, dum ab ipſo Conſaluo ne lato quidem vngue decedamus, recipiamus autem ſcriptorem, qui ſolum per ea tempora, quibus lignum Guaiacan in Hiſpaniam primum delatum

latum eſt, de eo pluries iam noto, & experto, prudenter, & ſine fuco ſermonē habuerit; qualis profectò ſolus fuit (vt omnibus aſſentientibus teſtatur etiam Antonius Gallus) quidam Vldaricus Germanus vir acris ingenij, & Alberti Cardinalis Moguntini familiaris, qui antiquiſſima Gallica affectus lue, iamq. licet multifariam afflictus, conſumptus, exiccatus, & (vt ipſe ſcribit) vndecies vnctus, ſalutis ſpe omni tandem deſtitutus, nouo tamen ligni ſancti tunc pridem delati medicamine vti decreuit, cuius beneficio, præter omnium opinionem, fęlicißimè liberatus, alijs ferè ad interitum eodem morbo afflictis, non paucam attulit ſalutis ſpem, atque recuperata ſanitate lætus, de ligno eodem ſancto, coactus quaſi, preconium fecit, ſummaq. diligentia deſcriptionem & conditionem illius, poſt alia multa, quæ à doctißimis Medicis, Cæſaris nomine, & alterius Germani Epiſcopi, Hiſpanias adeuntibus, vt veritatem ligni Guaiacan, ex his, qui apud Americas fuere, audirent, ingenuè deportata intellexerat; lib. ſuo. ad eundem Cardinalem ſcripto, poſteris reliquit, vt infra.

Materia eius vnguinoſa eſt, color qui buxo, ſed nigreſcens, atque id optimum putant, in quo quamplurimũ nigri eſt, verum ita quod buxeum eſt, ab eo quod nigrum differt, vt hoc intus, illud extra ſit, aut planius dicendo, vt medulla nigrum ſit. Ponderoſiſſimum eſt ipſum lignum, itaque eius nulla quamquam minutiſsima pars in aqua flui-

tat, ſed continuo mergitur & ſubſidit. Duritie robur omne ſuperat, tum prædurum eſt, vt quàm minime hiet, neque enim adhuc vidimus quod rimas traxiſſet, & qui vendunt fatiſcere negant. Vritur, ac inflammatur, odore non inſuaui. Ab accenſo, gummi profluit, quod nondum ſcimus quem in vſum cedat, ſubnigrum eſt, & ſtatim poſtquam deciderit perdurum. Cortex haud ita denſus, ſed immodice durus. Quibus inditijs animaduerſis fieri poſſe haud credo, vt qui id adulterent lateant emptorem: Nam vt coloris diſcerniculo fallatur quis, in quo vno omnia hæc conuenire poſſunt? Pinguetudo reſinaceum quoddam ſpirans, Pondus quale nulli præterea ligno, deinde hoc quod defluit ab inflammato, & vix ſecabilis eius durities, & quod in aqua etiam minutiſsime inciſum non ſupernatat, & ſapor qui ſemel cognitus nunquam errare ſinet, nequaquam ingratus eſt ille omnibus, mihi etiam iucundus. Non durare autem decoctum eius in æſtate, poſt tertium enim diem muceſsit, in hieme paulo ſerius. Itaque eligendum quod quam maxime pingueſcit, & pondere valet, eius eſt enim ſenecta, leuitas, & macretudo.

Et alibi infra.

Sapor primum guſtantibus ſubacidus, paulatim aſſueſcenti iocundus. Et infra.

Neque ita grauis Guaiaci ſapor eſt, vt melle temperari poſtulet, immo ſi per medicos liceat nulli non gratus. Hæc Vldaricus.

Atq;

Atq; deſcriptioni huic ſapientiſsimum Fernelium non temere, etſi more ſuo tacite, ſubſcripſiſſe iudicandum eſt, quippe qui, omnibus ipſum præcedentibus poſtpoſitis ſcriptoribus, vnum Vldaricū audiendum in hoc eſſe decreuerit: Vldaricum porro primum apud nos diligentem ligni guaiaci deſcriptorem, qui ob admiranda beneficia, præter omnium hominum opinionem, tum ſibi, tum alijs etiam ex eo generoſiſsime præſtita, cum diuinum illud, è cæloq; delapſum auxilium coactus confiteatur; meritiſsime inſuper, quacunq, poſsit ingenij ope, ab obliuionis iniuria præſtantiam eius ſe vindicaturum pollicetur. Quare Fernelius cum de luis venereæ remedijs verba feciſſet, ijſdem prorſus verbis, in ordinem duntaxat meliorē digeſtis, eamdem deſcriptionem recitauit, quam hic referre non pigebit, Inquit enim.

Cortex huius cum ad nos peruenit, colore cineritio, haud ita denſus, ſed immodice durus, color qui bruxeo ligni externe parti, nigreſcens interne, quam medullium dicunt. Pondus ei quale nulli præterea ligno, nulla eius quantum vis minima pars in aqua fluitat, ſed mergitur cōtinuo, & ſubſidit. Duritie robur omne ſuperat, & idcirco quam minime hiat, neq; facile videas quod rimas traxerit. Vritur ac inflammatur odore ſuaui, ab accenſo profluit gummi ſubnigrum & prædurum vbi refrixerit. Huius ligni ſapor ſubamarus, miti acrimonia palatum ac fauces compungens, qui ſemel cognitus nunquam errare in di-

gnoſcendo ſinit emptorem, vt neq; odor.
Hæc Fernelius vir doctiſsimus.
Itaq; nos ingenuè veram ligni Guaiaci, vel Huyaci, deſcriptionem habere cupientes, non aliam, nec aliunde prorſus petemus illam; ab hac, quam nobis præceteris Conſaluus indicauit, paulo poſt autem clarius & longius expreſſit Vldaricus, atq; demum Fernelius merito confirmauit, illamq; veram eſſe opinabimur, & præſertim quod illi, viri per idem ſeculum grauiſsimi, vt puta Fracaſtorius, Fracantianus, Frizimelica, Matthiolus, Vidius, cum alijs non paucis, quos ne nimius iudear prætermitto, aſſentiantur. Et licet Vldaricus amaritudinem acrimoniæ iunctam quodammodo taceat, innuit illam tamen, dum ſubacidum ſapere ſcribit, mellis dulcedine ab aliquibus perperā correctum, quoniam vir humanioribus diſciplinis inſtructus, vnà cum multis, quos breuitatis gratia derelinquam, acidum ſæpe cum acre confundit, vt confundit etiam Gallus Medicus, dum Guaiacan ipſum aliquando deſcribit; ſecus enim lignum Guaiacan frigidum eſſet; fit porrò acidum ex frigido: Id autem acre intendit Vldaricus, non quod ſimpliciter acre eſt, quia tale numquam vere ſubacre eſt, vt ſuo loco dicemus, ſed quod melle aliquibus corrigendum, quod nempe cum amaritudine iunctum eſt, veluti Fernelius docte interpretatus eſt, videlicet guſtui ex amaro ſubacidum, hoc eſt, citi acrimonia pungens, initio quidem ingratum, ſed paulatim aſſueſcenti iocundum.

Quod

CAPVT II.

Quod eiuſdẽ ligni Sancti, Guaiaci vè vna ſit ſpecies, & nullo modo plures, vt aduerſarij opinati ſunt, ex oculatis teſtibus, & fidis hiſtoricis, demonſtratur.

CAETERVM quoniam temporis progreſſu, ex Americanis Inſulis alijs, ab Hiſpaniola longe diſtantibus, & ex illa præſertim, quæ Borrichen olim nuncupata, nunc ſancti Ioannis nomine appellatur, lignum aliud, vt dictum eſt, ad nos delatum videatur, quod ob ſummas vires eius, admirandamq. potentiam, aduerſus Gallicam luem, & quampluri- ma alia mala, gentilitio neglecto vocabulo, ſanctum vulgo nuncupatum eſt, & à poſterioribus Medicis ſummè laudatum; Hinc ideo primum noſtri aduerſarij, Medici inquam aliquot Romæ degentes, ſufficienti forſam ipſis oblata occaſione, pſeudolignum quoddam, malo quidem fato, ab impoſtoribus quibuſdam in Italiam, & Romam potiſſimum delatum, quamquam a vero ſancto li-

gno

gno prorſus auerſum, defendere adhuc tamen, & ignota nobis cauſa, ſummo cum Reipublicæ detrimento, mordicus pro ſancto vero tueri, non erubeſcunt, potiſſimum quinimo inde erroneæ eorum opinionis fundamentum ſtabile, & firmum poſuiſſe ſunt opinati: Vel ex eo demum etiam perſuaſi, quod aſſentientibus quodammodo viris non parui nominis, deq; re medica in multis optime meritis, illud omnino conſtans, & validum exiſtimarent, nempe ijs prorſus moti coniecturis, quibus eorum ducebantur preceptores: Sed in eamdem ſine dubio erroris foueam cadunt, in quam præceptores, & duces eorum cecidere, quamquam etenim vnanimes omnes a Conſaluo Fernando, qui ex communi omnium doctorum conſenſu primus, de mandato Caroli Cęſaris, Americanam naturalem hiſtoriam oculatus teſtis ingenuè, eruditiſſimèq; conſcripſit, non decedendum iure ſibi propoſuerint, quod hac in re illi fidem non adhibere, maximum piaculum eſſe fateri coacti viderentur; Nichilominus quo ſpiritu ducti neſcio, vt illi, ita ipſi in oppoſitum abiere omnes, & relicto Conſaluo, alia prorſus ſomniarunt, quæ nec ille vidit vnquam, nec ſcripſiſſe compertum eſt. Fingunt enim duo ligna, non effigie totius ſolum & colore, ſed & odore, & ſapore, ac qualitatibus cæteris inuicem longiſſime diſtare, & maxime profectò quod e diuerſis omnino plantis cæſa certum opineſtur, quare & tandem ligna, ſpecie, natura, & eſſentia, ſeu quidditate inuicem ſumme differ-

re

re acriter contendunt: Vnum autem horum ligno-rum, vulgare Guaiacum dicunt, alterum verò San-ctum, quod cum vltro gratis inueniant, ab hinc an-nis quamplurimis ad nos portari deſijſſe, ſed Gua-iacum ſolum illud eſſe, quo nos, vt fingunt, paſ-ſim vti conſueuimus, conſequenter finxere etiam, lignum quoddam ſuum, mox a callidis, vafris vè mercatoribus, in Italiam, & Romam potiſſimum delatum, verum lignum ſanctum eſſe, paucis dun-taxat, & valde ſolum exercitatis agnitum, illudq; præſtantiſsimum exiſtimandum. Sed nos contra-rium omnino verum eſſe cenſentes, lignum San-ctum imprimis, vndecunq; feratur, & qualecunq; ſit, a Guaiacan ſpecie non differre demonſtrabi-mus, quippe demum reliqua euidentiora citra difficultatem omnem futura ſint omnia; futurum inquam euidentiſsimum, lignum aduerſariorum nouum, neutiquam lignum ſanctum verum eſſe, ſed falſum, & ſuppoſititium, Impoſtorū callidita-te inuectum. Atq; rem ita ſe habere, ex verbis Conſalui (hunc enim in perquirenda veritate, etiā cum aduerſarijs, nobis Ducem ſemper eſſe merito volumus; & quis me hercule plantam in tam a no-bis diſtantibus naſcentem Americis, ab alijs plan-tis differentem, vel illis ſimilem ſpecie, certius re-feret, cui perinde tuto liceat aſſentiri? niſi Con-ſaluus hic prudens & doctus, & ſi quis illi ſimilis, qui in eiſdem longius degens Americis, plantam proprijs oculis diligenter contemplatus eſt, & non troncum, non ramos ſolum, ſed & folia, ac fru-

ctus

ctus, & alia multa, ſtatis temporibus, de facie creberrime nouit) facile demonſtraturi ſumus: Ea itaq;, vt iam ſupra factum eſt, non alieno, ſed proprio idiomate, quo ab eo ſunt conſcripta, ex codice antiquo, manu eiuſdem auctoris ſignato, quē benigniſsimus Princeps Sueſſarum Dux Illuſtriſſimus & Excellentiſsimus, apud Summum Pontificem Regis Hiſpaniarum Orator meritiſsimus, ſingulari fauore conceſsit; huc fideliter transferam. Sanè lib. 10. cap. 2. ſuæ Hiſtoriæ habet Conſaluus.

Dos Arboles ay muy notables y excelentes en eſtas Islas, & aū en la tierra firme, porque aſſi como es comun el mal de las Buas en todas eſtas partes, quere la miſericordia Diuina, que aſſi ſea el remedio comunicado, & ſe alle para curar eſta dolentia, però aū que en otras partes ſe halle eſta enfermedad, en origen donde los Chriſtianos vieron las Buas y eſperimentaron & vieron curarlas y eſperimentar el arbol del guaiacan fue en eſta Isla Spannola. El otro ſe llama palo ſanto, y eſta ay en la Isla de Boriquen, llamada agora por los Eſpannoles San Iuan, & quando d'lla ſe hable, ſe dirà del palo ſanto. Aſſi que tornando al Guaiacan yo le he viſto en eſta y en otras Islas, & tambien en la tierra firme en la Prouincia que los Indios llaman Nagrande, y pues en eſta Isla Eſpannola ouieron los Eſpannoles conocimiento deſte arbol, pongole a qui (aunque en otras partes ſe halle) & quiero dezir lo que es muy notorio aſsi en las Indias, como en muchas partes del mundo, donde ſe

de ſe ha lleuado tras la miſma enfermedad para remedio della, & ay tantos arboles guayacanes en eſtas Indias que pienſo yo que ſon menos los pinos de tierra de Cuenca, & aun todos los otros de Eſpanna en numero. Es arbol a queſte muy excelente & inumerables vezes eſperimẽtado, aſsi en eſtas partes, como en Europa, & donde de aca ſe ha lleuado para eſta temeroſa enfermedad de las Buas.
Deinde eodem loco, ſed paulo infra inquit.

Tiene eſte Arbol la corteza toda manchada de verde, & mas verde, & pardillo color, como ſuele eſtar o pareſer vn cauallo, bouero, ò rodado, la hoya del es ſemeiante ala del madronno, però eſta es menor & mas verde, y echan vnas coſas amarillas por frutto, que pareſen mo ſi dos altramuzes iuntos el vno al otro eſtuuiſsen aſidos por los cantos; Es madero muy fortiſsimo & peſado mucho, & tiene el corazon quaſi negro ſobre pardo:
Et cap. decimoſeptimo lib. 16. habet.

El arbol que en las Indias llaman palo ſanto, digo que en opinion de muchos, es vnos delos mas excelentes arboles del mũdo por las enfermedades & llagas y diuerſas paſsiones que con el ſe curan, Muchos le tienen en la verdad por el meſmo que Guaiacan, ò per eſpecie, ò genero del, en la madera, y medula, ò corazon, y e nel peſo, & otras particularidades, y efetos medicinales, pueſto que à queſto Palo ſanto ha hecho mayores eſperiencias, porque de mas de ſe curar con el el mal de las Buas, como con el Guaiacan, & muy meyor, curanſe

otras

otras enfermedades muchas, que non ſe ſanan con el Guaiacan, como mas particularmente los medicos que del vſan lo ſaben aplicar, y otras perſonas por la eſperientia que ya ſe tiene.

Ex quibus porro verbis an colligatur lignum Guaiacã a ligno Sancto, ſpecie, ſeu natura, & quidditate diſtare, quilibet ſine difficultate percipiet; Etenim fateor, vbi de Guaiacan, duas Conſaluũ aſſerere ligni plantas: Fateor ibidẽ modo lignum vnum, modo alterum diſtincte nominare: Fateor demum, cum de ligno ſancto, indifferenter omnimode de ipſorum lignorũ loqui ſimilitudine, quod puta generica ſit, vel ſpecifica: quamquam ſine dubio hic exotericus ſit auctoris loquendi modus, quo paſsim populus vti conſueſcit; Etenim quando quis citra affectum, & attente Conſaluum ſcribentem perlegerit, palam ex integra oratione nullam differentiam ſpecificam, vel eſſentialem inter lignum Sanctum & Guaiacan aliquãdo concipiet, quin potius ſimilitudinem naturæ, & quidditatis, in vtroq; euidentiſsime animaduertet; Si quidem vbi de ligno Sancto, tandem paulo poſt aſſerit, re vera cum Guaiacan illud tum ſubſtantia, tum maxime meditullio, tum pondere, & demum alijs proprietatibus omnibus, vnà cum effectis medicationi deſeruientibus, ſimile prorſus multis videri, ijs intelligas, qui attentè ipſum examinauerint, ſolumq; differre maiori minori vè interagendum præſtantia, quæ certè ſpeciem non mutat. Quare ſi duas dixerit plantas, de hiſq; diſtin-

diſtincte loquatur, non ratione eſſentialis & ſpecificæ differentiæ duas appellauit, abinuicenque diſiunxit, ſed natalis ſoli varij cauſa, cuius ſcilicet occaſione differunt maiori vel minori virium bonitate. Nec quis vnquam rationalium philoſophorum dicet res omnimode ſimiles differre ſpecie: Verba verò Conſalui ad genus, vel ad ſpeciem indifferentia, in quendam potius loquendi modũ, quaſi exotericum, referenda, quam porphiriano more, ſeu acroamatice interpretanda ſunt. Et ne temerè hæc a me dicta videantur, quæſo obſeruent aduerſarij Conſaluum de Guaiacan alibi aperte loquentem, vbi expreſſe Sanctum cũ Guaiacan confundit, nempe in Summario Hiſtoriarũ, quod principio ſui aduentus in Americam, ad Carolum Imperatorem, ante Hiſtoriam miſerat, c.76 (hunc librum, de quo auctor principio ſuæ hiſtoriæ facit mentionem, Italico ſolum idomate conſcriptum, apud Ioannem Baptiſtam Ramuſium, lib. 3. ſuorum itinerum videre licuit) etenim ibi ſynonima facit Guaiacan & lignum Sanctum, deſcribitq; Guaiacan, vt in hiſtoria deſcripturus erat, dicens.

Così nell'indie, come in queſti Regni di Spagna, & fuori di quelli, è coſa molto nota il legno ouer palo ſanto, che gl'Indiani chiaman Guaiacan, & gl'Italiani legno da guarire mal Franceſe, & per queſto dirò alcune coſe con breuità. Queſto è vn'arbore poco minor d'vna noce del qual ſe ne ritroua aſſai, & ſono in quelle bande molti boſchi,

ſi nell'Iſola Spagnola, come nell'altre Iſole di quelli mari; pure in terra ferma io non ho anche veduto, nè vdito che ſiano delli detti arbori. Queſto arbore hà la ſcorza tutta machiata di verde, & d'alcune machie più verdi, & alcune manco, & berrettine, come ſuole eſſere vn cauallo pezzato; la foglia d'eſſo, è come d'vn Arbuto, ouer Corbezzolo, pure vn poco minore, & più verde, produce certo frutto giallo piccolo, che pare due faue lupine congiunte inſieme. Per tanto è legno fortiſſimo & graue, & ha la midolla quaſi negra; dico quaſi, perche pende in berretino.

Eundem loquendi modum ſeruat Ioſeph a Coſta Ieſuita Hiſpanus Philoſophus & Theologus egregius, in ſua Americana Hiſtoria Italico idiomate tranſcripta; hic enim pluribus annis in Americis vixit, eũq; ego poſtea Romæ ægrotantem in ſacro Pęnitentiariorum Collegio apud Vaticanum curaui, & non ſemel de rebus Indicis naturalibus cum eo ſum aloquutus, libro itaque 3. cap. 2. inquit.

Le Iſole, che chiamano di Barlouento, che ſono la Spagnola, la Cuba, & Porto ricco, & l'altre che vi ſono appreſſo hanno grandiſsima verdura, &c.

Et paulo infra inquit.

Si caua di là legnami di qualitadi eccellenti, & viſta, come Ebano, & altri per li edificij, & per lauori. Hanno molto di quel legno, che chiamano ſanto, che è per curare il mal Franceſe.

Ex

Ex quibus verbis patet, tum lignum quod aduerſus morbum gallicum fertur ex Inſula Sancti Dominici, tum quod fertur ex Inſula Sancti Ioannis, quam vulgus appellat (*Porto ricco*) nomine ligni Sancti nuncupari; & rurſum lib. 4. cap. 29. inquit.

Il legno del Guayacan, che per altro nome ſi chiama legno Santo d'India, naſce in abondanza nelle medeſime Iſole (loquutus enim paulo antea fuerat de Inſula Sancti Dominici, & alijs) *& è tanto graue come il ferro, poſto nell'acqua và al fondo.* Ex quibus verbis idem expreſſe deducitur.

Quamobrem ſi ex Conſaluo, ac alijs eaſdem regiones peruagatis, nullum ſpecificæ differentiæ inditium, inter lignum Sanctũ appellatum, & Guaiacan, ellici poteſt, cur ab oculato teſte, fido hiſtorico, viro prudenti, & docto, decedent aduerſarij? an teſti de auditu rem nobis ennarranti fidem potius habituri? Sed talem, ſi libet, Nicolaum Monardem audiant, qui cum apud Hiſpalẽſes Medicus non vulgaris, ex profeſſo rerum aliquot naturalium in Americis repertarum hiſtoriã, & vires, a Mercatoribus, & Americanis incolis illuc aduentantibus, nõ ſemel, ſed ſępius ennarratas conſcribat, haberi ab aduerſarijs merito debet teſtis de auditu locupletiſſimus, certiſſimuſq; ; En ipſe lib. 1. ſuorum Indicorum medicamentorum cap. 8. ita hiſpano idiomate loquitur.

Pues viniendo a nueſtro Guaiacan, cuyo nonbre es Indio, y entre ellos muy conocido, y aſſi lo

han llamado, y llaman en todo el mundo; llamandole tambien, palo de las indias; deſte palo han eſcripto muchos, y muchos, vnos diziẽdo que es Ebano, otros que es eſpecie de Box, y otros muchos nombres que le han impueſto, &c.

Et paulo poſt eodem libro quem nos ex ſapientiſſimi Viri, Illuſtriſſimiq; S. R. E. Cardinalis Eſculani Bibliotecha ſumma benignitate habuimus.

Es vn arbol grande del tamanno de vna enzina, echa muchas ramas, la corteza la deſpide de ſi quando è ſeco, graſſa, gomoſa, tiene el corazon muy grande, que tira a negro, todo el es muy duro, tanto y mas que Ebano, echa la hoya pequenna, y dura, y cada anno echa vnas flores amarillas, de las quales ſe engendra vn fruto redondo y macizo, con pepitas de dentro del tamanno de Niſperos; Ay deſte arbol en abondancia en San Domingo. Des pues a ca ſe ha hallado otro arbol del genero deſte Guaiacan, en San Iuan de Puerto ricco, que es otra Isla cabe la de Santo Domingo, que es aſſi como el, ſaluo que es mas pequegno, y lleua el tronco y ramas mas delgadas, y no tiene caſi corazon, y ſi lo tiene es poco, y aſsi eſta en el tronco porque las ramas non tienen ninguno; Es mas oloroſo y amagro que el Guaiacan. Deſte ſe vſa agora en nueſtros tiempos, oluidando el de Santo Domingo; y por ſus marauilloſos effetos le llaman palo Santo, y cierto con razon, por que es de mejor obra, que el de Santo Domingo, como ſe vee por eſperiencia, però el vno y el otro es marauilloſo remedio para

curar

curar el mal de Buas, de los quales, y de cada vno dellos, ſe haze el agua que ſe toma para eſta enfermedad, e para otras muchas.

Sed quid queſo Monardes ex auditu refert? refert ſanè omnimodam ligni Sancti, & Huaiaci ſimilitudinem, quin imo expreſſe ſpecificam, videlicet vtrumq; eiuſdem quidditatis eſſe, & eſſentiæ; Etenim licet Monardes ponat verbum (*del genero*) attamen Antonius Nebriſenſis apud Hiſpanos Grammaticus illuſtris gentilitij idiomatis energiam acutiſſime ſpeculatus, interloquendum exotericè, genus, & ſpeciem confundit; vnde in nobili Dictionario ſuo, vocem hiſpanicam (*eſpecies de coſas*) interpretatur indifferenter, tam per vocem, genus, quam per vocem, ſpecies, ita vt merito qui Hiſpanum Monardem tranſtulit in Italicum, verba (*des pues aca ſe hà hallado otro arbol del genero deſte Guaiacan en San Iuan de Porto ricco, &c.*) interpretatus ſit (*dapoi è ſtato portato quà vn'altro arboro della ſpecie di queſto Guaiacan da San Giouãni, &c.*) quod etiã ſine dubio voluit ipſè Monardes; quia nõ niſi ligna hęc inuicẽ diſtare maiori aut minori inter agendum poteſtate, maiori minoriq; odore, & amaritudine, confiteatur, quæ ſpeciem non variant. Diſtare inſuper colore medullæ, quod ex ſola arboris tenuitate prouenit, vt infra dicemus, demumq; diſtare arboris magnitudine, quod vni eidemq; plante ſpecie, ex conditione duntaxat natiui ſoli, contingit. Tandem verò Monardes refert contra aduerſarios, lignum, quo

in præſentia vtimur (ſcribebat enim Monardes anno milleſimo qningẽteſimo ſeptuageſimo quarto, ad Greg.xiij.Pont.Max.) eſſe lignum Sanctum, ex Inſula Sancti Ioannis, non autem ex Inſula ſancti Dominici; ex quo patet falſum eſſe lignum ſanctum vltro ab hinc multis annis ad nos minime transferri, vt fingebant ipſi.

CAPVT III.

Doctores, quorum auctoritate aduerſarij ſuam de multitudine ſpecierum ligni Sancti opinionem mordicus tueri conati ſunt, per ſummam imprudentiam ligni Sancti hiſtoriam à veritate longe diuerſam ennarrauiſſe.

ERGO cum res ita ſe habeat, quid adhuc reſtat aduerſarijs, vt perinde mordicus lignum Sanctum a Guaiacan, ſpecie, quam ſpecialiſſimam dicunt, ſeu natura, & quidditate differre contendant? poſtea quã nec planta, nec folijs, nec fructibus, nec lignorum

quali-

qualitatibus, & effectis quibuslibet, illa inuicem diſtant? Reſtat ſine dubio grauiſſimorum Doctorum auctoritas, cui profectò tantum tribuunt aduerſarij, vt velint nolint a vera ſciendi via degeneres cogantur ſenſum, & rationem euidentē derelinquere; Et quamquam rationi ac ſenſuum experimento fidem Philoſophos & Medicos duntaxat præſtare indubitatam, auctoritatibus verò, ſi ſenſibus, rationibuſq; non repugnent, alicubi aliquando dixiſſe videantur; quod tamen Doctores hoſce, & rationi, & experimento conſentanea loqui, ſibi (neſcio an libenter, an coactè) perſuadeant, propterea fortaſſe non timent, præmiſsis quaſi non obſtantibus, acriter adhuc de ligni vtriuſq; ſpecifica differentia propriam ſuſtinere ſententiam. Verum enim vero nos, qui Doctores hoſce homines pariter eſſe agnoſcamus, ingeniumq;, & ſenſum ad veritatis inueſtigationem, & rerum dignotionem a natura accepiſſe recordamur, & idem cælum eſſe, eumdem rerum ordinem, eamdemq; naturam, quæ coſdem homines, vt olim pariant, & alant, certi ſumus, noſtro autem ſeculo credamus corruptas eſſe diſciplinas omnes, ac vel ſtudio contradicendi, vel aſſeuerandi, propenſione animi quadam obſtinata, huc illuc vè vtplurimum ad partes ſponte aliquas facile trahi, iure idcirco antiquum, ingenuum, inſitumq;, de rebus natura conſtantibus, philoſophandi morem ſequuti, veritatem noſtris ſenſibus, noſtroq; ingenio, ſine fuco perquiremus, neminiq; credentes,

ſed libere contra omnes, quod putamus verum, proferentes, horum Philoſophorum, & Medicorum, quibus tantum tribuunt aduerſarij, quorum ſcilicet auctoritas infirmis ingenijs obeſſe poteſt, refellemus omnia dicta, & veritatem e tenebris eruemus, aperiemuſq;. Atqui ex ſexcentis, quos aduerſarij, cum Amato Luſitano, nominatim, adducere ſe poſſe contendunt, ijs, qui licet nomine, ac fama Philoſophi, & Medici ſint, re tamen vera ab hoc longiſſime diſtant, vt pote mihi mirũ in modum mouentes ſtomachum, prorſus omiſsis, paucos ſolum, illoſq; meliores, præſtantiores, & de re medica in multis optime meritos, trahamus in examen. Antonius Muſa Braſauolus, tum lib. de morbo Gallico, tum in ſuo Simp. examine, vbi de lignis agit, dũ teſtatur ſe vidiſſe tres ligni Sancti ſpecies, tandem fatetur ex his duo plantarum pænitus diuerſarum neceſſario eſſe, quarum vna Guaiaci eſt, altera autem pali Sancti. Diuerſitatem in lignis colligit, ex aſpectu, & colore, cum viderit ligni fruſta effigiem variam præſeferre, nempe vnum illius, quod tunc commune, & vulgare habebatur, dicebaturq; Guaiacũ in extremis buxeum ferè colorem habere, meditullium vero nigricans, & totum demum ſplendida quadam donatum duritie; Quod verò pharmacopolæ tunc propriè palum Sanctum appellabant, magis albicans eſſe quam primum, & ad luteum quendam colorem vergere, paruum habere meditullium, atq; pellucidum; Iam tamen annos præterijſſe,

qui-

quibus tale lignum in Italiam duci deſierat. Aſſe-rit præterea ex omnino diuerſis plantis, ligna fore cæſa, ob dictum Luſitanorum, qui Indiam perluſtrarunt, quos ipſe talia narrantes audiuerat. Sed non leuiter bonus Braſauolus peccat: Primum cum ex effigie, & colore, lignorum ſpecificam colligat differentiam; Tum quod color ſimilis in rebus diuerſæ ſpeciei obſeruetur, vt albedo in niue, & calce. Inſuper, & in rebus eiuſdem ſpeciei etiã ille varius eſt, vt in homine Etiope, & Britanno; tum quod ligni efficies, quæ certa colorum diſtributio eſt in partibus varijs totius ſubſtantiæ ligni conſiſtens, vt puta quod nigreſcat meditullium, circunſtans autem pars buxum repræſentet, vel potius totum ſubflauum, vel magis, vel minus tale ſit, nullam determinatam habet in omni vnius plantæ ligni ſancti fruſto conſtantiã, & certè minus, in diuerſarum plantarum multis: poſteaquam vel ipſis ſenſibus, etiam aduerſarij euidenter aliquando in ligni fruſto longo, vna parte eius meditullium nigrum magnum agnouerint, altera autem contra, vel nullum, vel valde paruum, aut vtraq; nullum! Inſuper colorem buxeum, modo ad ſubalbidum, modo ad pullum magis inclinare, atqui nigrum, modo ad fuſcum, & ad ſubluteum modo. Quare bene ex Matthiolo, in Dioſcor. lib. 1 cap. 11. credendum non eſt eiuſmodi ligna, etſi colore, magnitudine, ac pondere inter ſe diſcrepent, idcirco diuerſarum eſſe plantarum, diuerſorumq; generum, nam quod hoc, tam intus,

quam extra candicet, illud vero interiori ſui parte nigricet, non aliunde prouenit, quam quod hoc magis, illud vero minus adoleuerit, vel conſenuerit: quippe eo ſanè nigrius cernitur lignum Guaiacum, quo ad maturiorem ætatem peruenerit arbor, a qua deciſum fuerit, & per conſequens, tanto magis album apparet, quanto minus adoleuerit, quemadmodum conſpicitur in noſtris arboribus, & præſertim in Moro, Nuce, Quercu, & Anagiri; Verum tamen illud cuiq; perſuaſum ſit, ætatem vni plus, quam alteri virium addere, ac demere. Et neq; vllum ipſi Braſauole refugium eſt, quoniam truncum ſemper eſſe ramis in agendo validiorem ſuppoſuerit, vt puta in quo ſemper maior ſit plantæ vigor, quam in ramis a trunco emanantibus; Interea tamen experiatur lignum, quod ſanctũ dicitur, abſq; nigro meditullio acrius, & validius eſſe ligno cum nigro meditullio, etſi ob id illud eſſe ramus non poſſit, vt quis fortaſſe opinaretur, cum truncus potius ex craſſitie ſit (Fallopio porrò aduerſariorum patrono, ſed ridiculo teſte, numquam Guaiacan etiam in ſurculis, ſine nigro meditullio eſt, at ſemper lignum Sanctum, etiam ad hominis craſſitiem, quale ſe vidiſſe confitetur, nunquam cum tali meditullio reperitur, cũ proprium id vtriq; eſſe vellit) quare ex hoc perperam inuento, apud Braſauolam credibile non eſt, lignum, quod Sanctum dicitur, eiuſdem eſſe naturæ cum ligno quod dicitur Guaiacan: Etenim ſuppoſitio falſa eſt, quia partes arboris adoleſcen-
tes

tes, ſeneſcētibus credendæ ſunt ſemper validiores, & potentiores, quales ſunt rami, non autem truncus, licet non propterea ſemper rami acriores, & validiores trunco ſint; Sunt quidē ſemper ſi mox ex virenti, viuentiq; arbore illi vſu aliquando venirent, quoniā ſemper virtus in ramis tunc vegetior eſt; Sed cū ad nos nō niſi poſttres, vel quatuor annos ab arbore cæſi deferantur, ideo ſæpe contrarium euenit. Si quidem cum minus ſolidi, nondūq; juſtam adepti cōſiſtentiam ſint, ſed tenella adhuc, molliorïq; præditi ſubſtantia, ideo quam facile inareſcunt, vireſq; ammittunt proprias, truncus verò contra ſe habens, longius durat, tardiuſq; tabeſcit: Verum tamen eſt quod vt non omnis truncus iure eligendus eſt, ita nec omnis ramus reijciendus, reijcitur ſæpe truncus ſeneſcentis arboris, quia ob paucitatem humoris contabeſcens, adoleſcentis contra ob contrariam cauſam recipitur, etſi qui tenuis nimis, ſit reijciendus, vt dictum eſt, qui vero ætatis iam conſiſtentis, quod iā integris præditus viribus eſt, neceſſario longius viget, longiuſq; conſiſtit, ac durat. Ergo ex ligni fruſto, quod vel ramum, vel truncum repreſentet, etiam ſi magis minuſq; acre ſit, nihil aptè colligit Braſauolus, niſi forte maiorem ſolum præſtantiam, & in agendo promptitudinem adeſſe contendat, quod illi gratis concedimus. Tandem parum prudenter ſe nimis credulum oſtēdit Braſauolus, cum a Conſaluo verę ligni Sancti plantæ natali ſolo virentis, florentiſq; oculato teſte, fido
hiſto-

hiſtorico, viro docto decedens, verbis Luſitanorum præbuerit aures: poſſibile quidem eſt illos dixiſſe veritatem, quæ tamen Braſauoli propoſito inſeruit nihil. Nam cum Luſitani Braſilie ſolum in Americis dominarentur, credibile eſt de ligno illo ipſos eſſe loquutos, quod ex planta regione ea naſcenti cæditur, quæ porro planta, Hyuourahe, quaſi res rara, Indis Braſilianis nuncupatur, & a ligno Guaiaco, ſiue Sancto longe diſtat, de qua Ioannes Lerius Burgundus oculatus teſtis, in nauigatione ſua in Braſiliam cap. 12. & longe melius Andreas Teuet oculatus etiam teſtis, in Hiſtoria ſua Galliæ Antarticæ lib. 2. vbi de Braſilia, in quam ipſe aliquando nauigauerat, ſermonem faciens, inquit, Eſſe arborem magnam, cuius cortex ſemidigitalis craſſitudinis eſt, extrinſecus argenteus, intrinſecus ſubruber, ſaporis grati, recenter preſertim ab arbore extractus, ſapidus enim eſt, & lacteo ſucco refertus, liquiritiæ ſaporem repræſentat, admirandæ facultatis eſt aduerſus luem Gallicam, & mala alia non pauca, a frigiditate, pituitaq; oriunda, quo feliciſſime vtuntur incolæ, tam Indi, quam Chriſticolæ, eo ferè modo, quo lignum Sanctum ex vſu eſt, dicuntq, perinde eſſe lignum Sanctum, coquitur enim eius certa corticis portio, in determinata aquæ quantitate, & guſtanti ſuauis potio fit. Parere autem (inquit) quolibet decimo quinto anno fructum, ad inſtar vnius prunis noſtratis mediocris, colore verè aureo præditi, in quo parua nux delicata admodum

dum continuetur. Quod cum ita ſit, non mirum ſi Luſitani ſuo etiam iuramento dixerint, ſuam plantam gallice lui aduerſam, viribus guaiaci ſimilē, alteram plantam eſſe a Guaiacan. Nec vt ſe excuſet Braſauolus ſufficit quod dicat, iam annis deſijſſe ad nos tale lignum deduci, propterea eſſe nobis ignotum, Quia recentior illo eſt Antonius Gallus, recentiſſimus autem Nicolaus Monardes, qui tamen verum lignum Sanctum ex Inſula Sancti Ioannis ad nos in præſentia deferri ſcribunt, alio, quod in Inſula Sancti Dominici naſcitur, longe poſtpoſito, quin imo Gallus ad miraculum ſe hoc ipſo aliquem ſanaſſe fatetur, quæ vtiq; omnia veriſſimilia ſunt, ob continua noſtrorum mercatorum in Inſulis illis, & Continenti, tractata negotia.

Ipſum Braſauolam ſequutus eſt Antonius Gallus, qui ſanè acri donatus ingenio, quamquam in rerum naturalium inquiſitione valde ſolicitus, nec imprudenter credulus, adhuc tamen forte aliquorum turbatus verſutia dubius, & trepidans in non paucos incidit errores; Sed tantum ſcripto valuit, vt poſt multos, vni Fallopio errandi non leuē dederit occaſionem; ille enim Conſaluum, & Gallum admiratus, neminem præter hos ligni Guaiaci naturam agnouiſſe opinatus, tandem chimeras nō paucas ſibi perperam compoſuit, ennarrauitq; Porro Gallus, ſui operis exordio, videtur ijs aduerſari, qui idem palum Sanctum, & Guaiacan eſſe negarent, imo longo ſermonis tractu, poſt-

ſim-

ſimplicem, vnicamq; deſcriptam plantam.

Hanc (inquit) *qui Indicum hoc lignum depingunt, Fraxini traddunt eſſe proceritate, vt quod duodecim æquet cubitorum altitudinem, folia plantaginis inſtar habere, neruea, minora tamen, rotundioraq; , & validiora, fructum ferre caſtaneis proximum, vel vt alij, oliue ſpecie, floribus eſſe luteis;* & reliqua multa de ligni conditione refert, a quibus poſtmodum ex propria ſententia longe multum variat. Ligni etenim Sancti, & Guaiaci nomina ſinonima feciſſe videtur. Cæterum deinceps ſuo loco, naturam, & vires ligni huiuſce perquiſiturus, diſtare, diuerſumq; eſſe lignum Sanctum a Guaiacan expreſſe contendit. Fatetur enim corticem ligni Guaiacan maxime durum, leuore quopiam cum pullo colore donari. Sed ligni Sancti puſtuloſum eſſe magis, & cinereo præditum colore. Subſtantiam ligni Sancti vniuerſam ſubflauam eſſe, eius licet meditullium ſit parce nigrũ; Ligni verò Guaiaci contra habunde nigrum: Sed quod magis eſt, Guaiacan pingue valde, ſi bonum fuerit, & grauiſſimo præditum pondere, cuius ſenectam, tum macretudinem, tum leuitatem oſtenſtere. Lignum Sanctum vix pingueſcere, nec reſinaceum ſpirare, adeo vt ne ab inflammato quidem defluat quidquam, graue tamen eſſe etiam vſq; ad miraculũ, & ex his omnibus fieri, vt odor, & ſapor longe diuerſus inſit vtriſq;. At diuerſitatem hanc licet in vnum natale ſolum transferat, dubie tamen adhuc id fateri videtur, vt denique

Gallum

Gallum horum modo lignorum ſimilitudini, modo differentiæ locum dare pateat. Quod ſane timiditatem interdeliberandum oſtendit; non paruam, oſtenditq; non certam vtriusvis ligni habuiſſe cognitionem; interea quamquam ab Ebano vtrum illud differat diſputandum ſibi proponit. In eo vero quod præomnibus certo affirmare audet, quod inquam Gnaiacan reſinoſa pinguedine habundet, contra lignum Sanctum aridum ferè, & vix paucum ſi inflammetur reſudare pinguedinis, ſe ſingularem oſtendit, & valde multum à communi omnium ſententia aberrare; quippe nullus vnquam illud melius ſanctum Lignum dixerit, quod aridius, & minime pingue fuerit, ſed mauis contra. Contradicit deinde ſibi, cum dicat a Sancti Ioannis Inſula lignum Sanctum melius eſſe petendum, quia illud ibi multo ſucculentius exiſtimatũ. At ſucculentiæ cauſam dicens, iterum ſe irridendum præbet, quia Sancti Ioannis Inſulam minus peruſtam ſolibus aſſerat, puta quod octo ferè gradibus ab æquinotiali longius, quam Sancti Dominici Inſula, remota ſit, quæ tredecim ipſa duntaxat ab illo diſtat circulo, ſicut Diui Ioannis vno & viginti. Atqui ſi quis vel modicè in Geographica diſciplina exercitatus, rem ipſam acurate perpenderit, totum oppoſitum facile animaduertet, præſertim cum Conſaluus lib. 16. cap. 1. ſuæ Hiſtoriæ dixerit, Inſulam Sancti Ioannis diſtare ſolum ab illa Sancti Dominici, ex parte orientis, ſpatio leucarum viginti quinq;, vel triginta.

Quæ

Quæ certe omnia cum fuerint a me diligenter obſeruata, magnopere tandem admiratus ſum, quo præſtigio ductus aliquando Gabriel Fallopius, vt, relicto Conſaluo, Gallum ſibi conſtituerit Ducem, poſteaquam leuiſſimas ſolum inter vtrumq; lignum ennarratas poſuerit differentias, & quæ forte alicuius momenti eſſe poſſent, plenas deſcribat nugis, & contradictionibus (id enim mẽdatij eſt proprium, quod ſcilicet veritati nuſquam abſq; contrarietate queat aptari) Sit vtcumq; tamen, Fallopius ex hoc ipſo Gallo ſeductus, non ſolum lignum Guaiacan a ligno Sancto vero plus quam ſpecie diſtare aſſeueranter affirmat, ſed vltro multifariam longiſſime diuerſa ex planta cædi. Atq; tamen ex Conſaluo (vt inquit) tum Hiſt. lib. 10. cap. 2. tum in ſummario cap. 76. ita deſcribit Guaiaci plantam.

Eſt arbor altiſſima, & maxima, quæ ad iuglandis altitudinem pertingit, aliquando paulo minor, cortice prædita eſt pullo, & viridi macula maculato, ita vt ſubalbidus ſit color, folia habet arbuti, fructus luteos profert per maturitatem, qui ſunt veluti gemini lupini, ſimul coniuncti.

Paulo poſt deinde, quam arboris deſcriptionem Gallus non magis ligno Sancto, quam Guaiaco tribuit, ſed ligno Indico ſimpliciter, ita vt an ille omnibus faciat communem, non ſit ſatis in ſumma verborum confuſione accipere, Fallopius propria auctoritate palo ſancto impertitur, eſſeq; illi propriam.

priam, totoq; cælo ab illa Guaiacan diſtantem, ſic fingit.

Arbor iſta eſt magnitudinis fraxini, folia habet arnogloſsi folijs ſimillima, ita pleniora, ita pinguia, & tamen craſsiora, & breuiora, flores luteos producit, quos ſacharo condire ſolent, & ſoluunt aluum, fructus rotundi ſunt, iuglandũ nucum forma; aliquando magnitudine, & craſsitudine præueniunt nucum iuglandium maiorẽ, cortex eſt coloris cineritij, & æmulatur fraxinum, in interna parte color pullus.

Ita ſane etiam ad vnguem ferè Gallus, licet ſolum ſe dubitare addat, an fructum pariat caſtanee ſimilem, an iuglandi, vel oliue, quem iuglandi eſſe Fallopio certum eſt, ſæpe tamen magnitudinem ait excedere conſuetam. Quæ omnia excogitata fortaſſe fuere, ex quo iam pro comperto ſit habitum, non lignum tãtum aluum ſoluere, (quod porrò nos in quamplurimis verum obſeruauimus) ſed & ſuccum, & folia, & maxime fructus; ad nos autem deferri aliquando fructus paruos ad inſtar oliuæ, vel auelanæ, de quibus Conſaluus Hiſt. lib. 10. cap. 4. & in ſummario cap. 81. & Monardes lib. 1. cap. 14. qui quidem fructus mirum in modum vacuant. Rurſum deferuntur alij ad inſtar Caſtaneę, de quibus Monardes lib. 2. cap. 12. qui ſimiliter potenter aluum ſoluunt, vnde modo a verbis aduenæ vnius, ab alterius modo perſuaſi auctores dubij ſemper fuere de fructu ligni Sancti, & Guaiaci, imo forte etiam ex diuerſitate fru-

ctuum

ctuum horum, credidere varias eſſe vtriuſq; ligni plantas, cum nullo modo ſint. Sed ad Fallopium redeuntes, ſanè ille deſcribens lignum Guaiacan, & Sanctum, inquit.

Hæ ergo ſunt notæ Guaiaci, nigredo in medio, ſubalbior circonſtantia, intercurrentibus lineis ſubnigrioribus, ſapor amarus, acredo quædam, & in eo pinguedo contenta, vt ex ea educere oleum poſſimus. Notæ pali ſancti, tota ſubſtantia flaua eſt, odor ſuauis certe, pinguedo copioſiſſima, vt duplicatum oleum extrahamus, ſapor acer magis, & minus amarus, vnde decocta pleniora, pinguiora, & acriora valde, ſentimuſq; ſuauem odorem.

Quæ certè cum ita a Fallopio ſcripta ſint, dicat ille queſo, ſi liceat, cur nam ipſe iampridem Conſalui, & Galli doctrinam profeſſus, poſtmodum verò plantas duas deſcribat, illaſq; longe aſſerat diuerſas, cum Conſaluus vnicam ſolum poſuerit, expreſſeq; vnam duntaxat deſcripſerit? Dicat inſuper quare nam plantam, & ligno Sancto, & Guaiaco indifferentem, a Gallo deſcriptam, ipſe paucis immutatis ſolo ligno Sãcto tribuerit? Sed quod magis eſt reſpondeat, ſi poſſit, cur nam ligni deſcribens conditiones, ponat ſubſtantiam ligni Sãcti ſemper totam flauam eſſe, illam verò guaiaci meditullium habere ſemper nigrum, cum Conſaluus dixerit, lignum Sanctum in meditullio prorſus ſimile eſſe ligno Guaiacan, inſuper & Gallus admittat ſæpe aliquam in meditullio nigredinẽ?

Rurſum

Rurſum reſpondeat, ſi verum eſt quod Gallus aſſerit, nempe lignum Sanctum ferè omni carere pinguedine, cur nam ipſe ſcripſerit lignum Sanctum pinguedine habundare copioſiſſima, puta duplo maiori quam Guaiacan? Profectò non poterunt vnquam, nec Deſeninus, nec Borgarutius Gallum ſequuti, nec demum Fallopij fautores omnes, his plenè ſatisfacere, quin omnino verum ſit, ipſum Fallopium in deſcribendo ligno, eiuſq; conditionibus ennarrandis, multa vana loqui, repetere perperam multa, tandemq, ſibi apertè cum ſuo Gallo contradicere. Nec eſt quod cum Braſauolo fugiat; quia ab hinc annis lignum Sanctum verum ad nos vltro non deferri dixerit, quando id falſum eſſe iam dictum ſit, & non res ipſa solum omnibus certè notiſſima, ſed verba ipſius ſuam detegant vanitatem. Sed de Fallopio ſatis, quem ſequutus eſt, at gratis, Matthias de Lobel in ſuis Aduerſarijs, ſequuti ſunt & alij, verum vanis coniecturis, veluti ex lignorum, vel plantarum ſimilium effigie, innixi, vt fuere fortaſſe qui in Americis palmam quandam, de qua Conſaluus in ſummario cap. 67. lignum Guaiacum, ſeu Sanctum credidere, cuius quidem lignum, colore, & pondere, ligno Guaiaco ſimile eſt, licet planta longe diuerſa; Vel contra fuere qui palmam aliam, quã Sanctam appellauere, vt dictus Matthias de Lobel lib. ſuarum obſeruationũ, vbi arborem cuiuſdam palmæ, omnino ferè arbori Guaiaci, cortice, folijſq; ſimilem deſcribit, in fructu licet diſſi-

D milem.

milem. Adeo quod etiam qui Americam per tranſennam adierint, vel proprijs oculis, facile decipi poſſint, aut ex ſolius plantę aſpectu, aut præſentibus folijs, nondum verò partis fructibus, ſed ligno ipſo magis, quia licet longo etiam tempore ibidem pernoctauerint, effigies tamen, quæ colore, demunq; denſitate repreſentatur, ſuperaddito quoq; pondere, reliquis poſtpoſitis, ex varijs plantis cæſis lignis, ipſos decipere apta nata ſit. Nil mirum igitur, tum ſi tantis impoſturis nos Europei, a mercatoribus lucro magis proprio, quam Reipublicæ vtilitati incumbentibus, fallamur paſſim, paſſimq; plurimi ægrotantes exiccantium lignorum vſu longius torti, afflictiq; contabeſcant potius, quam à lue Gallica liberentur. Interea verò Medici parum prudenter illis medicinam facientes, cauſam eſſe, vel Lunam, vel Solem, vel aerem, vel deniq; cibum, potum vè vſitatum, ridicule illis, & ſibi perſuaderi cogantur. Hos itaq; vnà cum cæteris ad pauca reſpicientibus, ſoloq; ſimili plantæ, aut ligni aſpectu, puerorum more deceptos, refellere vltro non curabo.

***

Quod

CAPVT IV.

Quod demum vnica ſit ligni Sancti, Guaiaci vè ſpecies, & non multiplex, ex meliorum etiam Philoſophorum, et Medicorum communi conſenſu indicatur, & poſt multa, qualis eiuſdem legitima ſit deſcriptio paucis ennarraturus.

ITAQVE iã deficit aduerſarijs omne refugium, quo erroneam opinionem ſuam de ſpecifica lignorum Guaiaci & Sancti differentia tueri aliquo modo valeant. Sed ne nos identitatem ſpecificam, tum ex planta, tum ex ligno defendentes (ſemper tamen fidi oculatiq; hiſtorici communiter recepti innixi teſtimonio, etſi vltro illi addere libeat Ieſuitarum Sacerdotũ aliquot fidem non dubiam, qui Americas regiones perluſtrarunt, proprijſq; oculis, minime oſcitanter, ſed diligentiſſime obſeruatam veritatem mihi Romę paucis ab hinc diebus curioſius percũctanti ennarrarunt) paradoxum feciſſe videamur; en paucis Doctorum grauiſſimorum aſſenſum li-

benter ſubijciemus. Et imprimis eſt Fracaſtorius, qui in Siphilide vnum eſſe lignum, vnamq; plantam confitetur, & licet illud quod eatenus ab Inſula Hiſpaniola ſolũ deferebatur agnoſcat, vniuſq; plantæ eſſe velit, adhuc tamen eam modo Sanctã, modo Huyacan, duobus quaſi ſinonimis nominat. Sed Tomitanus, loco proprio, non idem ſolum de ligno vndecunq; delato aſſerit, ſed præterea diuerſarum ſpecierum eſſe ſentientes damnãs, peritorum ſolum medicorum hanc eſſe ſententiã, quod vnius ſcilicet ſpeciei ſit, apertè conſtituit. Fernelius etiam ſcribit, quod quamquam vna eſt ligni ſpecies, ad nos tamen ligni fruſta deferuntur varia. Vidius vbi de morbo Gallico, abſq; dubio vnam tantum eſſe ſpeciem vult, & omnem differentiam ætati, vel regioni tribuendam eſſe. Idem apertiſſime confitetur Fracantianus, qui nec aliud ex Conſaluo deduci poſſe contendit. Matthiolus in Dioſ. vbi de Ebeno, idem ad vnguem ſentit. Sed Amatus Luſitanus ibidẽ adhuc addit, nullhactenus eſſe credendum ex plantis diuerſis hæc ligna ſcindi varia, ſed ex vna, & eadem, pro ratione partium plantæ. Et tandem Nicolaus Maſſa loco proprio de ligno aduerſus luem venereã tractaturus, præcauendum eſſe vult, ne quis multiplici nominum appellatione decipiatur, cum licet lignum vnum ſit, alias tamen Sanctum, alias Guaiacum, & alias Indum appellari. Itaq; Medici illuſtres, illiq; plures meas tuentur partes, non ideo paradoxum quis me dixiſſe vnquam iudicabit.

Quare

Quare vt multa paucis complectar, certum erit, & oculatis confirmatum teſtibus, lignum ab Americis, aduerſus mala non pauca, & Gallicam præſertim luem, ad nos, vt nunc, ita præterito delatum ſeculo, quod modo Guaiacan, modo Sanctum vulgus appellat, vnum, vnius ſcilicet, nec multiplicis eſſe ſpeciei, cuius arbor alicubi maioris, & alicubi minoris, pro terræ fæcunditate, ſiue præſtantia, magnitudinis eſt; Folio carnoſo, neruoſoq;, arbuti latiore, figura ferè plantaginis, vel citrij. Parit fructus, qui forte principio oliuę, vel paruæ iuglandis immaturæ imaginem quodãmodo pręſeferunt, illi autem quando iam ad maturitatem peruenerint, vel vnius magni lupini, ſiue duorum coniunctorum ſpeciem, & luteum colorem oſtendunt, in quibus nucleum eſt. Similem equidem plantam viuentem, virentemq;, tum magnam, tum paruam, folijs, ac fructibus exornatam non ſemel vidi, & diligenter examinaui Romæ. Ligni ab arbore cæſi cortex, ſi adoleſcentis partis fuerit, tum lenis eſt, tum cinereo colore quodam præditus, maculis licet quibuſdam viridibus variegatus appareat, ſin autem ſeneſcentis, puſtuloſus, & ob longas ambientis iniurias inæqualis factus, tenuis eſt, minus quidem denſus, ſed duriſſimus eſt, qui in recenti ligno firmiter adeo herens videtur, vt ferro vix ſeparari poſſe credatur, in antiquo tamen contra. Exteriori totius ſubſtantie parti ſubflauus, vel buxeus ineſt color, magis tamen atq; minus, pro maiori atq; minori reſinoſæ pinguedi-

nis copia. Pars interior, quam meditullium dicunt, nigreſcit ad fuſcum, atq; id rurſum magis minus vè, pro ligni præſertim ætate. Pondus ei qualis nulli præterea ligno, nulla enim eius quantumuis minima pars in aqua fluitat, ſed mergitur continuo, & ſubſidit. Duritie quodcumq; lignum ſuperat, & idcirco (quod ex multitudine pinguedinis fit) quam minime hiat. Perfricatum lignum, pertractatumq; odorem ſuauem emittit, & magis ſi vratur, & inflammetur. Ab accenſo profluit gummi ſub nigrum, & prædurum vbi refrixerit. Hoc lignum ſi tota ſui ſubſtantia deguſtetur, ſaporem ſtatim principio reddit amarum, ſed qui miti acrimonia palatum, ac fauces compungit, perinde quodammodo gratum; Et quidem valde magis, ſi elixatum deguſtetur, quippe tunc ſe ſe valentius communicet, ac vltro, craſſo, pingui, & ſubalbido decocto, euidenter os, fauces, etſi ingeratur ventriculum calefaciat. Sed profectò hæc, tum meliora, & præſtantiora, tum contra deteriora, & imperfectiora (quatenus tamen latitudo conditionis patiatur) ipſi ligno Sãcto inſunt omnia, vel natiui ſoli cauſa, melioris deterioris vè, vel ætatis tandem ligni cædui, aut cæſi, maioris atq; minoris occaſione. Ex his etenim ſæpiſſime, quæ vnius, eiuſdemq; ſpeciei planta eſt mutationem ſubit, ſeruato tamen temperamento, ſeruatis ijs, quæ temperamentum neceſſario conſequuntur, demunq; ſeruata ſpecie, non paruam. Mutatur enim primum ipſa plantæ effigies, ſiue

ea ſit

ea ſit magnitudinis, ſiue ramorum propagationis, ſiue inſuper foliorum ea fuerit, & interdum etiam quodammodo fructuum, quod non tantum notum Agriculturam agnoſcentibus eſt, ſed vltro Theophraſtus cum Scaligero, idem, lib. de cauſis plantarum ſecundo, pluribus locis animaduertit.

Mutatur præterea, mutatione ſoli, partium eſſentialium plantæ, tum color, tum odor, atque ſapor, cum reliquis inſitis ad agendum qualitatibus omnibus, veluti certè quilibet dum ſolum apricum, ſolis puta radijs expoſitum valde, aut contra vmbroſum, conuallatumq. obſeruet, intelliget facile, quippe illud omnia, quatenus licet, in ſua ſpecie coloratiora, omnia odorifera magis, ſapidaq; magis producat omnia; At alterum minus talia, in colore, odore, atq; ſapore ſemper reddat. Rurſum magis euidentes habent agendi qualitates illa, minus autem hæc; poſteaquam illa diuino, cæleſti, viteq; congruo calore ſuffulta, in omnibus luxuriant, laſciuiuntq;, hæc vero contra tali ferè deſtituta calore, habetiora, & obtuſiora præſeferunt in omnibus. Cæterum præter natale ſolum, ætas etiam in plantis non minimas parit varietates, imo ſæpe maiores, quam natale ſolum parit, tum in ipſa magnitudine, tum in ramorum diſpoſitione, & ad effigiem ſpectantibus reliquis; vt in quouis arbore ſenſu cognoſcimus. Ad hæc quantum ad colorem ſpectat, extrinſecus, iam dictum eſt, corticem pro ætate, alias, ac alias ſe habere, intrinſecus verò, quo planta ſenior, eo illi

meditullium nigrius, & maius, contra quo iunior, vſq; quo in valde adoleſcenti nullum tale ſit, ſed tota ſubſtantia ſubflaua, ſiue ſubalbida inſit, quod in vna eademq; annoſa planta numero patet, quippe pars ſenior, puta truncus, nigrum meditullium habeat maius, rami maiores, qui mediæ ætatis ſunt, illud minus, vſq; quo ad ramos minores, & iuniores, in quibus nullum tale eſt, ſit peruentum. Atqui cum certum ſit, vt in animalibus, ita in plantis, maiorem ætatem magis adimere vires, minorem verò minus, ob id neceſſario ſit, vt ætatis occaſione, non ſolum quæ iunior ligni planta eſt, ea & vegetior, odoratior, amarior, & acrior videatur, ſed & quæ vnius plantæ portio talis fuerit, itidem & in omnibus potentior extimetur, nempè ramus trunco, & inter ramos, qui tenuior, quamquam non ob id tenuiores ſurculi ad nos delati meliores, ſed mediocres, mediæq; ætatis ſolum, & frequenter etiam truncus, quoniam licet in natali ſolo mox cæſi rami tales ſint, poſtmodũ tamen ad nos lati minus vigent, quam mediocres, vt dicebamus. Vnde quod Doctus Manardus, quem in ſui fauorem adducunt aduerſarij lib. 17. epiſt. 3. tria ligni Guaiaci genera ſe obſeruaſſe fatetur. Primum ſcilicet, quod Guaiacan vocant, denſius, grauius, craſſius, interiori parte nigricantius, exteriore ſubpalida, & veluti lineis quibuſdam ad fuſcum inclinantibus, in æque diſtantibus, per longum interſecta; Alterius ad album magis vergit exterior pars, neque

eſt

eſt tam manifeſtis lineis diſtincta, nigrum tamen & ipſum colorem intrinſecus oſtendit, ſed minore orbe quam præcedens. Tertium quod Sanctum præcipuè vocatur, tam intrinſecus, quam extrinſecus albicantem colorem præſefert, exilibuſq; valde lineis eius diſtinguitur longitudo, & deinde quod acrius, & odoratius eſt. Sanè illud omne in præmiſſum veriſſimum ſenſum referri ex toto facile poteſt; quin imo ego, vnà cum Matthiolo, Augerio, Alexandreo, & alijs, ab omni calumnia illum (omiſſa Ebani diſputatione) vindicarem, quaſi vnà quidem cum peritis Medicis, & his, qui ſolidam ſimplicium medicamentorum calent cognitionem, ipſe voluerit, vnius quidem ſpeciei, lignum Guaiacum, & Sanctum, plantam habere, vltro nihilominus ex eadem tria ligni ennarrata genera, tribus ſcilicet gradibus ordinata, colore, odore, ſapore, & reliquis qualitatibus agentibus omnibus inuicem (intra latitudinem tamen veri ligni) diuerſa videri, vt deſcriptum eſt, quæ vt viribus, & poteſtate ſibi inuicem ſuccedunt, ita non omnibus gallica affectis lue æque conueniunt, ſed quod ex his validius ſeuiori, & antiquiori, minuſq; validum mitiori, & recentiori duntaxat.

Atq; de ligni Sancti ſpeciebus (ſi que fuerint) hactenus ſatis.

Quod

CAPVT V.

Quod lignum nuper in Italiam, & Romam potiſsimum delatũ, pſeudolignum ſanctum ſit, & nullhactenus verum, ex proprijs, ſenſatis, & veris, ligni eiuſdem naturam conſequentibus notis, demonſtrandum proponitur.

RESTAT iam vt pſeudoligni fucum, atq; fallaciã a Septentrionalibus tentatam mercatoribus oſtendamus, quam licet facile, in tanta ingeniorum varietate, imbeciliori alicui veram ſuadere ipſi callide, & aſtute potuerint, potuerintq; inuenire patronum. Ingenuè tamen, & ſolidè rerum naturam contemplantibus nunquam, per Deum immortalem, erãt ſuaſuri. Igitur pſeudolignum ſanctum ab his ad nos delatum, quamquam ex planta de facie a nobis agnita, vel ſaltem per oculatos teſtes deſcripta, illud Sanctum verum neutiquam eſſe, eius fautoribus demonſtrare valemus, ex præmiſſis attamen ſic ſe habentibus, quod ita illud longe diſtet

a li-

a ligno noſtro Guaiaco, ſeu Sancto vero, vt non per maiorem minorem uè bonitatem,ſiue præſtantiam tantummodo, ſed mauis tota ſpecie, ſiue natura, vnum ab alio valde plurimum differat: ſi conditionem vtriuſuis ſenſatam proprijs deſignatam qualitatibus perpendamus, deinceps Diuino fauente Numine ſumus clariſſime demonſtraturi; poſteaquam ex ſenſatis cuiuſuis rei proprijs, & veris ſolum, nec aliunde,rei cuiuſq;, tum ſpeciem, ſiue naturam, tum ſpeciei, naturæ vè maiorem, minorem vè præſtantiam, neceſſaria demonſtratione concipiamus; quatenus porrò ſenſata hæc latentem rei naturam conſequentia, pro ipſorum varietate, rei etiam formam, ſiue naturam, ſpecie differre, aut mauis pro ſimilitudine,naturam, & ſpeciem vnam.eandemq; fore oportere demonſtrant; Veluti demum ſæpe fit, vt hæc eadem ſenſata, intra propriæ conditionis latitudinem exiſtentia,magis tamen,ſiue minus, ita ſuæ integritati accedant,ab ea vè recedant, vt non mutata forma, vel ſpecie, maiorem ſolum, minorem vè rei præſtantiam vigere oſtendant.

*

Premit-

CAPVT VI.

Præmittitur autem imprimis, ex ligni conſtitutione, ac temperamento præcognito, ad proprioſq; gradus iuſtè deducto, facile licere (ſublatis omnibus difficultatibus) in rei propoſitæ deuenire notitiam.

ID IPSVM itaq; nos iam de vtroq; ligno proſequuturi operæ pretiũ merito duo eſſe duximus præmittenda, quorum primum eſt. Corpora omnia natura conſtantia, ex materia, & forma, veluti primis, ſummiſq; principijs, & elementis certò conſtare, componiq; neceſſario; quando ſemper agens, quod ex natura, nẽpe ſponte, & proprio agit impulſu, ſubiectum circa quod agat omnino ſupponat, quippe ipſi operanti, ad inſtar eorum prorſus, quæ arte agunt, materies ſubijciatur, quemadmodum ſimulacro æs, aut lignũ, alias enim ex nihilo quicquam natura produceretur. Atqui quidnam hæc materia ſit, circa quam verſatur agens continuo, & ex qua primum omnia fiunt, profectò confuſe admodum concipitur,

ex quo puta ſaltem illi tamquam fundamento initatur corporis forma, ac inſit, & dum res ipſa compoſita ad formæ corruptionem perit, in aliaq; faceſſit, vna eademq; permaneat, quod ſit ideo vnicum omnium viciſſitudinum, & commutationum receptaculum; adeo quod dũ gignitur, quiddam, eius ſolum forma naſcatur, & de nouo emergat, dum autem occidit, & extinguitur, eadem ſimiliter ſola occumbat; materia autem vna, eademq; omnibus formis communi, & ad omnes interminata manente perpetuo. Ideoq; ſubſtantiam ſaltem eſſe indeffinitam, informem, ad omnes formas recipiendas accõmodatiſſimam, in qua perpetuo ſeruata, atq; ſuperſtite, rerum naturalium corporearum continua fiat conuerſio, nobis de ea ſentire eſt conceſſum. Verum forma, quę materie ſuperueniens, illam actu ſubſtatifico terminat, vnàq; cum ea certum corpus, noſtris ſenſibus multifariam patens, conſtituit; queadmodum & quæcunq; ars effinxit in æris, lapidis, aut ligni materia, ſpeciem quandam ab arte, & ornamentum, Leonis puta, vel Tauri habent; ea profectò, licet nec dum per ſe ſenſibus pateat, quod vltra accidentia ſenſus non pertranſeant, quamuis in materia ſemper, ac ſubiecto ſit, ad accidentis ferè ſimilitudinem, attamen quia determinatum eſſe ſubſtantificum materie impertitur, quod inſequuntur poſtmodum opera, & alia non pauca, non accidentalem, ſed eſſentialem, & ſpecificam differentiam demonſtrantia, vt inter Leonem, & Bouem

plura

plura demonſtrant, ipſa idcirco nuſquã eo obſcura eſt, quo ipſa materia obſcura eſt. Cæterum cur hæc forma, & non alia de nouo fiat, & quatenus fiat, vt tandem materię iuncta, iam pridem tamen præcedenti forma corrupta, nouum corpus, veluti aquam ex aere, cum ea conſtituat, omnibus certè ad hæc vſq; tempora Philoſophis eſt admirãdum; Etſi qui ſolidius, & accuratius rerum natura conſtantium generationem, corruptionemq; contemplati ſunt, vel ſenſu cum rationem ducti in hanc tandem venere ſententiam omnes. Materiam ad vnam magis quam ad aliam præſentem habere aptitudinem, ob præuias ab agẽte immiſſas diſpoſitiones in eam, quibus ſanè ea ita diſponitur, & præparatur, vt non indifferenter amplius omnibus apta ſit formis, ſed huic, vel illi duntaxat. Porro id experimento cuilibet planum eſt, quando nunquam, vt puta lignum in ignem immutetur, quin illud calefiat prius ſufficienter, & exiccetur, at poſtquam tale tandem euaſerit, iam verè ſui commutationi ſuccumbit, in ignemq;, non in aquam, vel terram, aut alterius cuiuſuis naturam indiſcriminatim degenerat. Sed vt corpora, quæ natura ſunt prædita duorum generum ſunt, alia nempe ſimilaria, & alia diſſimilaria, ita materiæ ad horum formam præparatio duplex eſt: Ad ſimilarium enim formam ſufficit qualitatũ primarum temperies quædam, qua ſimplici recipiende ſuſtinendeq; forme materia ipſa belle ſufficiat; Ad diſſimularium autem formam, vltro plurium formarum

marum varijs partibus inexiſtentium conſenſus, & conformatio deſideratur, quod patet expreſſe, ex quo vt aer, ſimplex, & ſimilare corpus, fiat aqua, ille ſaltem in cauitatibus terræ refrigeratur, & cōdenſatur in aquam, contra vt aqua aer euadat, caleſit, & rareſit in aerem ipſum. At verò vt aliquando producatur animal, certum eſt præter ipſum primarum qualitatum temperamentū adhuc multiformium partium concentum, ſtata figura, magnitudine, numero, ordine, ac ſitu determinatum deſiderari: quare animantium forma actus eſt corporis phiſici potentia vitam habentis. Ad hæc autem præuijs hiſce diſpoſitionibus iam præcedentibus, hanc, & non aliam formam induci in materiam, vel mauis ex ipſamet materiæ aptitudine formam educi, eatenus tantummodo opinandum eſt, quatenus in præuijs diſpoſitionibus ipſa, tanquam ſuo ſemine, virtualiter, & poteſtate contenta, tandem illis debitam integritatem aliquando adeptis, in actum neceſſario (cæleſtis virtutis beneficio) ex poteſtate erumpat. Eductionem autem hanc ab agente naturaliter fieri cēſendum eſt, qua ratione illud, ſiue vniuocum fuerit, ſiue analogum, diſpoſitiones tamē omnes adamuſſim formę producendę conuenientes in materiam iampridem induxerit; ſiue illas ſua præſentia comitatum, ſiue quod illis motus initium quoddam indiderit, quo quaſi impetu ab ipſomet agente accepto, dum ſe continuato incremēto perfecerit, velut ingreſſum ſtadium ad metam vſq; (niſi ſi quauis de curſu re-

trahat)

trahat) percurrerint. Neq; difficultatem facit nobis, quod cum vltra vires proprias agat nemo, diſpoſitioneſq; hæ ſint accidentia, attamen forma ſubſtantia ſit, impoſſibile ideo eſſe accidentia virtute continere in ſe formam, quæ ſubſtantia eſt. Quoniam verum eſt accidentia ex ſe ſubſtantiam non producere, alias quoduis acciddens ſubſtantiam producere aptũ eſſet, ſed quatenus ab agente vniuoco, vel analogo determinata, taliq; concentu alijs mixta iam ſunt, virtutem producendi ſubſtantiam adipiſcuntur. Exemplo vtiq; plantarum, & animantium imperfectorum quamplurium, quæ ex putri humore paſſim generantur, quãdo iam ipſa putredo diſpoſitiones dederit formę ſubſtantiali eorum conuenientes: conuenientes erunt profectò, vbi poſt debitũ conditionis earum concentũ, adhuc propriæ entitatis gradum perfectum ipſę attigerint. Rebus etenim naturalibus omnibus certus ineſt propriæ magnitudinis terminus, vltra, vel citra quem ſtare nulla ratione queunt, ſed intra quem optime vigent; Ergo merito ex diſpoſitionibus his materiæ ad formam præuijs, corporum natura conſtantium forma, tanquam ex ſemine proprio, aliquando erumpit in actum; Inſuper & eiſdem apoſitè conſeruatis, illa conſeruatur, conſeruaturq; corpus, & in proprio ſtatu conſiſtit, contra deprauatis, & quomodolibet propriam proportionis latitudinẽ prætergreſſis, vel iam corpori nonnaturalis alteratio, ſeu morbus præſto eſt, vel tandem corru-

ptio

ptio ſiue mors neceſſario contingit; veluti equidẽ cuiq; ſana mente donato in multis euidens eſt, & in animantibus præſertim omnibus, dum vel ob cauſam hanc maxime ægrotant, & moriuntur. Verum cum diſpoſitiones hæ, in corporibus diſſimilaribus, vt puta animalibus, duorum ſint generum, vt dictum eſt, vnum ſcilicet qualitatum primarum temperies quædam, & demum alterum partium multiformium concentus, ſeu armonica compoſitio; quis hic fortaſſe perquiret, quibus nam harum diſpoſitionum forma poteſtate contineatur. Cui ſane reſpondendum eſt, omnibus ſimul contineri; primum attamen, ſi ſimilarium, ſaltemve imperfectorum diſſimilarium corporum ſit, qualitatum temperamento; ſi verò diſſimilarium perfectorum fuerit, ipſo partium multiformium concentu: poſteaquam quanto forma perfectior, tanto maiores expetat ſubiectæ materiæ diſpoſitiones, quanto verò imperfectior, tanto minores. Sed quorſum generationis rerum naturalium, ex proprijs principijs, contemplatio hæc tam multis hactenus expreſſa verbis? mehercule vel ea vna tantum occaſione habita eſt, qua nos in præſentia rei latentis cognitionem proſequuturi ſumus; hæc etenim ex rei eiuſdem principiorum notitia proficiſcitur, quippe rem vnamquamque habentem principia, cauſasvè, tunc ſolum nos agnoſcere arbitremur, cum eiuſdem principia, cauſas, vel elementa, iam aptè nouerimus. Hæc ipſa autem rei principia, materia ſcilicet, &

forma, nonniſi per ea, quæ horum gratia intergenerandum deſiderata ſeſe ſenſibus offerunt, concipiantur, qualia vtique ſunt, quæcumque præuiarum ipſarum diſpoſitionum materiæ ad formã neceſſario conſequuntur determinationem, vt puta quod eiuſdem formæ ſemen, diſpoſitiones ipſæ ſint, & tum eſſendi, tum operandi præcipuum inſtrumentum exiſtant, quarum ſemper omnium certa quædam ad certam formam determinatio ſit, qua tales prorſus, nec aliæ extrinſecus ſentiantur, vt tum experientia compertum omnibus eſt, tum Gal. lib. ſimp. facul. & lib. quod animi mores, &c. doctiſſimè demonſtraſſe omnibus patet. Nos ideo rem latentem ex proprijs indagantes principijs, vbi ex ſenſatis, & proprijs, rei cuius vis conſtitutionem, diſpoſitionem vè iam erimus aſſequuti, ſat vtiq; erit, circa medium cognitionis eiuſdem, deſiderio noſtro ſatisfactum; poſteaquam nihil vltro præſtantius, nihil certius, nihilq; ex his, quæ ſe ſe ſenſibus offerunt, omnium conſenſu probatum haberi poſſe conſtet, quandiu mẽs humana corporis hoc veluti ergaſtulo incluſa, rei cuiuſuis naturam percipere aliquando tentauerit. Quamobrem merito rerum natura conſtantium productionem nos ſupra exprimere longius conati ſumus, vt præmitteremus corporis conſtitutionem agnitam, euidenter ſatis poſt materiam arguere formam, quæ verè dat eſſe rei primo, & quæcumq; ipſum eſſe ſequuntur. Vnde ſi corporis conſtitutio varia, diuerſaq; pænitus indicetur, neceſſario

ceſſario etiã forma differens cenſebitur, & varia, contra ſi ſimilis. Dicebamus autem conſtitutionem duplicem eſſe, vnam corporum ſimilarium, & diſſimilarium aliam: Iam conſequenter expreſſe fatemur vtramq;, vbicũq, fuerit, diligenter perquirendam, meditandamq;. Cæterum quæ diſſimilarium eſt, quia in certa partium figura, magnitudine, numero, ordine, ac ſitu poſita eſt, cum non vni ſenſui tantum, ſed pluribus patens ſit, neutiquã ideo obſcura dicetur, velut profectò obſcura ſatis, quæ ſimilarium eſt, quamuis calidi, frigidi, humidi, ac ſicci duntaxat, proportionata miſcella quędam exiſtat. Vtcumq; autem ſit, eam profectò meliores, & ſubtiliores Philoſophi, ac Medici rerum naturas contemplantes accuratius ſunt perſcrutati, atq; longo ipſarum rerum vſu, frequentiq; ſapientum omnium experientia, quæ ſemper pro iudice ſumenda nobis eſt, ideoq; non gratis, ſed merito ad certos quoſdam qualitatum gradus, hoc eſt exceſſus, ſenſibus multifariam perceptibiles, ex quibus inquam inuicem multipliciter complicatis, temperamentum, vel conſtitutio produceretur, commodè deduxere. Quatuor autem ſunt hi, quia primo gradu verè tunc qualitas continetur, quando illa noſtrum corpus afficiat, non tamen euidenter, ſed vt ratiocinatione ad affectionem perſuadẽdam omnino ſit opus. Secundo gradu eadem qualitas eſt, quæ iam manifeſtè afficit, vt non amplius ad affectionis cognitionem opus ſit coniectura. Tertio gradu ea vtiq;

eſt, quæ ita vehementer afficit, vt tandem euidenter alteret, impreſſamq; longius relinquat alterationem. Ad quartum demum gradum qualitas peruenit, quæ ita ſummè alterat, vt euidenter lędat, tandemq; corrumpat. Atq; ita ex cognitis his qualitatum gradibus in mixto, non difficile colligitur quale rei temperamentum, & ſanè re vera ex communi omnium Græcorum, Arabum, & Latinorum Philoſophorum, & Medicorum, quocũq; extiterint ſeculo, conſenſu, & imprimis Platonis, Ariſtotelis, & Theophraſti, qui cum de ſaporum origine ferè cum alijs poſterioribus conueniant, palam gradus hoſce innuunt omnino. Sed Galeni potiſſimum, qui libro de ſimpl. facult. eos expreſſe conſtituit, latiuſq; exprimit. Auicennæ demum, Auerrois, Haly Abbatis, Iſaac Iſraelitæ, Raſis, Serapionis, Alſaharauij, & aliorum quamplurium. Sed latinorum teſtimonio idem eſſe veriſſimum, non eſt vltro demonſtrandum, quoniam prorſus notum lippis, & tonſoribus eſt. Verum enim verò qua nam ratione nos ex rerum agnita conſtitutione, rerum ſimiliter formam, naturam, ac ſpeciem (ſpecialiſſimam aiunt) diuerſam, aut ſimilem fateri cogamur potius, quam præſtantiæ, vel bonitatis eiuſdem maiorem minorem vè perfectionem, vtiq; in corporibus verè perfectis, & multiformibus facile conſtat; In his quippe, cum vel vna partium varietas, quę vt natura, ita figura, magnitudine, numero, ac ſitu, alia, ac pænitus alia, quam ſit in cæteris, reperiatur, vt puta, in

Boue

Boue diuerſa ab illa Leonis, & vltro quod etiam in Boue, partibus hiſce veluti inſtrumentis, plura exerceri videantur munia, quæ in Leone obſeruentur nuſquam, horum ideo corporum ſpecifica differentia, ex ſola partium multiformium compoſitione commode patet. Atqui quod ſolum maior, minor vè, vnius & eiuſdem corporis pręſtantia, in ſpecie ſua ſit, ex meliori ſaltem, & perfectiori ipſarum met partium diſpoſitione, & obeundis munijs aptitudine, colligi poteſt. Sed in corporibus minus perfectis, quamquam multiformibus (in ſimplicibus enim, & vniformibus res eſt conſpicua) in quibus tamen partium compoſitio parum ab illa corporis eiuſdem ordinis diſtat, vt plantis euenit ſæpiſſime; profectò in eis, licet adhuc partium conformatio, cum effectis inde manantibus, non prorſus contemnenda, negligendaq; (impoſſibile ſiquidem ſit omnia ad vnguem eſſe ſimilia) at interea temperamentũ examinandum a nobis eſt acuratius, illius quoniam ſemper magna varietas eſt. Quare poſteaquam ex hoc ipſo primum ſpecifica forma proficiſcitur, vt dictum eſt: Ea verò quæ ſecundum naturam ſunt, & producuntur, cum ad vnum perpetuo determinata ſint omnia; proculdubio illud vnicuiq; ſpeciei proprium, determinatumq; eſſe opere prætium eſt, alias quodlibet fieret ex quolibet. Per præmiſſos ergo gradus, eodem iam bene præcognito, licebit ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem ſpecificam corporis rectè conijcere. Et quamquam ex quo gradus quilibet am-

plam ſatis habet latitudinem, à principio ſcilicet per medium in finem vſq;, per quam fortaſſe citra corruptionem, vel interitum (non quidem ſemper citra alterationem, vel morbum) compoſitum tuto ſpatiari queit; quamquam inquam ex hoc ſatis aperte licet meliorem illius, deteriorem vè arguere præſtantiam, quatenus magis illud, vel minus propriè integre proportioni appropinquabitur, non licet tamen dubitare, quin vnicuiq; ſpeciei rerum, vnum illudq; determinatum reſpondeat temperamentum, quod certo, determinatoq; qualitatum gradu contineatur, vltra quem, vel citra, nec eſſe ſpecies, neq; ſeruari extra cauſas ſuas aliquando poſsit, quod vel quidem inductione facta in ſingulis eiuſdem ſpeciei indiuiduis comprobatur.

Quod ſi forte quis obijciat, ſæpe multa reperiri, & multas exempli gratia plantas, quæ interdum quidem integrum obtinere videntur ſui temperamenti gradum, puta tertium, interdum verò etiam citra morbum obtinere vix ſecundum, vt ideo etiam omnino falſum videri debeat, ſpeciem quamcumq; proprio ſolum ſeruari temperamento. Reſpondendum illi vtiq; eſt, permagni referre an totius naturæ reſpectu, an noſtri ſcilicet hominum duntaxat, de cuiuſuis rei & plantæ temperamento diffiniamus; nam etſi res ipſa integris viribus prædita ſuo ſemper temperamēto contineatur neceſſario, ita vt ſi ſuæ naturæ reſpectu de eodem aliquando diffiniamus temperamento, vt nunquã illud interim varium diuerſumq;, ſed idem ſemper

proba-

probare rite poſſimus; attamen quantum ad nos ſpectat, hoc ſi ſolis noſtris ſenſibus de temperamento eodem iudicemus, facile eſt contrarium euenire, & quidem merito, quando ſæpe res, quæcumque fuerit, per ſe & ſecundum quod ipſa ſentiatur, ſæpiſſime vero per accidens, ſiue alterius cuiuſuis contingentis occaſione, vt accurate docebat Gal. lib. ſimp. facul. primo. & lib. de temp. 3. quæ porro occaſio multiplex eſt, etſi præcipua ſit partium conſtituentium ætherogeneitas, vt ipſemet Gal. lib. ſimp. facul. pluries demonſtrauit. Namque vel ob hanc ſæpe fit, vt res vna, eaq. ſimplex contrarias obtineat agendi facultates: vnde licet forte quis plantam, non mutata ſpecie, inuenerit longe a ſua conſtitutione diuerſam, vt dictũ eſt, profectò illud continget occaſione humoris ex terra, cui illa innata fuerit, iam pridem impreſsi, cuius inquam prædominantis cauſa, planta ea, aliàs atque aliàs, primo quoque ſenſu iudicatur. Itaque non apparens, ſed re vera veriſsimum eſt, rerum quarum vis, non ſimilarium tantum, ſed & diſsimilarium, ac multiformiũ, mutato temperamento, formam, naturam, ac ſpeciem omnino mutari, impoſsibileq. eſſe formam vnam ſub valde diuerſis ſeruari diſpoſitionibus, vel temperamentis; quod nimis adeo ſibi perſuaſus Gal. eſt, vt in errorem tandem manifeſtum inciderit non ſemel, ſed lib. præſertim, Quod animi mores &c. vbi confeſſus eſt apertè, formas corporum aliud non eſſe quam temperamentum. Et quamquam

intra proprij temperamenti gradus latitudinem, ſæpe res ipſa nondum adhuc corrupta vagatur, conſiſtitque, vt interea perfectior modo, modo verò imperfectior ſolum in ſua ſpecie iudicetur; quoties tamen proprium gradum, vel terminum latitudinis prætergrediatur, illam corrumpi ſatis eſt conſpicuum. Hunc autem gradum vnum vel alterum eſſe, ex iam præmiſſis quatuor, non ſolum ſenſus ipſe conuincit, ſed vltro ratio ex ipſa rerum determinatione omnium conſenſu deducta docet euidentiſſimè.

Quod ſi quis adhuc non ſano donatus ſenſu, & erronea conſequenter mente præditus, id mordicus contendat eſſe falſum, fictumvè, vt naſutuli fortaſſe quidam parum ſenſati, chimericas paſſim de re quauis ſibi fingentes Ideas, acriter aſſeuerantes futuri ſunt; Ab his nos non adeo nobis confiſi, menteq; ingenua donati, & humanæ omnino ſapientiæ amatores, quæ vel ad ſummum perueniſſe videri debet, ſi quæ ſenſus patefecerit, & quæ è rerum ſenſu perceptarum ſimilitudine mente haberi poſsūt, inſpexerit: merito auidè perquiremus, qua nā alia ratione, aut via, ipſi corporū præmiſſorū naturas, formas, quidditates vè, ac differētias aliquando ſint perſcrutaturi? poſteaquam alia ab hac, quam mox explicauimus, nulla pænitus eſſe videatur, ab hac inquam, quam nos ſubtiliſsime ſapientiſsimus Ariſt. in poſterioribus analiticis indicauit, & quam Philoſophi & Medici omnes rerū naturalium naturas, & vires continuo per praxim

exer-

exercentes,vel Græcorum,Arabum, & Latinorum ferè omnium teſtimonio,verã eſſe fateri conantur.

Obijciant autem,ex quo ſciunt multa eſſe, quæ citra difficultatẽ temperamento conueniunt, quia puta calida, & ſicca pari gradu ſunt, quæ tamen ſpecie diuerſa ſunt, inde ergo vnum & idem ſpecie, temperamento diuerſi gradus, donari poſſe; adeo quod ex temperamẽti diuerſitate, ridiculum ſit prorſus diuerſitatem ſpeciei demonſtrare. Verumtamen ex falſo ſuppoſito decipiuntur euidentiſſime,tum quoniam impoſsibile eſt in ſimilaribus plura ſpecie diuerſa ſimili donari temperamento, quippe vna cũ ſit forma, vnũ ſimiliter illi ex æquo reſpondet temperamentum, vt probatum eſt, tum quoniam in diſsimilaribus licet ex partium quarundam prędominio temperamentum vigere aliquod ferè ſimile conſtet, conſtat tamen adhuc, etiam in ſimplicioribus, cuiuſmodi plantæ ſunt, nuſquam vnã eamdemq; omnino in omnibus ſpecie differentibus eſſe partium diſpoſitionem, conſtitutionem vè; adeo quod ſi non ex ſolo prædominanti temperamento expreſſe, ex reliquis ſaltẽ omnibus ad corporis compoſitionẽ per ſe requiſitis, & diligenter examinatis, vnà cũ proprio ſubdominanti temperamento, rem natura, forma, ac ſpecie euidenter differre apparet.

Rurſum ex his gradibus nouã deſument aduerſarij obijciendi occaſionem, quia ſi ſolũ gradus hi certum & ſpecificum conſtituant temperamẽtũ, ijdemq; gradus quatuor tantum ſint, ſintq; quatuor

tuor primarum qualitatum tantummodo, vt verũ eſt; ergo ſaltem tot erunt temperamenta ſpecifica, quot erunt combinationes harum qualitatum per gradus; multo autem ſunt plura ſpecie differentia corpora, quam combinationes tales ſint, igitur vanum eſt ex his gradibus ſpecificam deducere differentiam, vt a nobis ſupra factum eſt.

Hanc obiectionem ex antecedentis diſſolutione diluimus, ſi dicamus in ſimilaribus quidem corporibus argumentum ſine difficultate concludere, nempe ex combinatione tantũmodo quatuor graduum, quatuor primarum qualitatum ſimpliciter, conſtare omne ſpecificum temperamentum, at in diſſimilaribus non concludere, ob multiplicem cõpoſitionis eorum diuerſitatem, per quam immenſus eſt temperamentorum ſpecie differentium numerus, veluti etiam immenſa (etſi non infinita) eſt corporum ſpecie differentium complicatio, vt manifeſtum omnibus eſt. Sine difficultate igitur ex quatuor qualitatum primarum gradibus, tum rei cuiuſq; temperamentum, tum demum ſpecifica differentia colligi poteſt. Niſi forſam aduerſarij quaſi a naturæ conſilio ad nos aliquãdo peruenientes, ſuoq; arbitratu cum ipſamet contendentes natura, rerum temere quidditates effingere poſſe credant, aut maius cum Scepticis rerum quidditates omnino aſſequi poſſe negent, aut demum perperam & ridicule cum Parmenide & Meliſſo, vnum ens eſſe omuia, ſoloq. maiori aut minori bonitatis gradu diſtantia eſſe, ſibi confingant.

Præ-

CAPVT VII.

Præmittitur adhuc ſecundo, ligni temperamentum quoduis certis conſtitutum gradibus, ex eiuſdem ligni tactilibus qualitatibus, & præterea ex ſapore, parum verò ex odore, at ex colore, & aſpectu omnino minus aſſequi poſſe, & qua ratione id commode fiat.

SED iam ſecundum præmittamus, nempe huius tēperamenti gradus, ex ſenſatis proprijs non paucis planè inuicem longe diuerſis, euidenter poſſe demonſtrari; ex ſenſatis inquam qualitatibus rerum quarumcūque temperamentum proprium, tum immediate, tum mediate indicantibus, vel inquam tactu, vel guſtu, vel odoratu, vel demum viſu, quoniam auditus parum huic cognitioni inſeruire videatur. Tactus autem primas tenet, cum ille qualitatum omnium primarum, quibus conſtat temperamentum, proportionem in mixto, quantumcumq; exceſſe-

ceſſerint, immediate, & euidenter agnoſcat. De actualibus autem qualitatibus, puta quæ rebus ab extrinſeco ſæpe contingant, non intelligimus, ſed de virtualibus primum; poſteaquam ad corpus quod ſentit ille referendæ ſunt, ſentiuntur etenim actuales, atqui virtuales omnino magis,& hæ cæteris paribus magis immutant, & alterant, qua ratione verò lateant, licet rem actu ſic temperatã inſequantur,demum attamen excitẽtur in actum, non eſt hic explorandi locus; Sat ſit vel ſolo præſtanti ſenſu tactus,rerum temperamentum, ex tactilibus qualitatibus primis, calido ſcilicet, frigido,humido,& ſicco conflatum decerni iure poſſe; quando alius ſit ſenſus earum, quæ primo gradu excedunt, & alius earum, quæ ſecundo, deinceps tertio,vel quarto,vt ſuperius communem omnium ſapientum ſententiam ſequuti dicebamus; perinde ſiquidem ſenſibili immutatione ea, qua tactus per hos gradus afficitur, eadem met prorſus de qualitate ipſa, deque eiuſdem qualitatis gradibus decernendum eſt nobis; Nec in hoc ſenſus tactus aliquando decipitur (ſi tamen organum illi deſeruiens integrum fuerit) eſt enim ille ſemper veritatis teſtis ſingularis, & optimus; quamquam ne quod ſentit illud proprium ſit rei temperamentum, an maius temperies aduentitia, ſolius eſt mentis per diſcurſum inueſtigatio,deſumptis præſertim coniecturis(vt docebat Gal.lib.de temp. 3. & lib. ſimp. facul. 1.) tum ex communi atque frequenti ſenſu rei, quo res frigida, vel calida, nec pro-

promiſcua ad vtrumque eſt, tum ex modo quo ipſamet res ex vſu aliquando fuerit, quia ſi ab initio ad finem vſque, dum adhibita res eſt, ea magis ſemper calefaciat, vel frigefaciat, ea non ex accidenti, ſed ex ſua natura talis erit; quamuis ſi nihil moratus, moxque poſt ablationem, facultatem eius expendere voles, ſæpe numero falli poſſis, vt nonnunquam aquam ſua natura frigidam, calidam poſſidere dices facultatem, vbi puta ſolum extrinſecus adhibita calorem reuocet in vnũ, tum demum ex externæ qualitatis additamento, eo quoniam rei inſita facultas facile adulteretur, eodem licet etiam tanquam extraneo facile ſpoliari conſueſcat. Tactum proxime ſequitur guſtus, qui quaſi alius tactus eſt, quo inquam ſapor iure percipitur, ex ſapore licet non immediate, ſed per diſcurſum dumtaxat, factaque deductione eius, quaſi effectus in ſuum principium, primarum nempe qualitatum temperamentum, ipſius temperamenti conditio aſsequatur; Vnde cum non parum luminis addat priori per tactum facte cognitioni, eius idcirco non contemnenda ſenſatio eſt. Etenim ex longa, eaque prudenti ſapidorum exercitata notitia ſatis aperte colligitur, Saporem affectionem eſſe guſtum mouentem, ex vario caloris, aut frigoris impetu, in humidum multifariam ſicco admixtum, procreatã, quod etiam Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſili cap.4. & Theophr. lib. de cauſis plantarum. 6. cap.1. aſſeuerant. Quare ex hoc ipſo ſapore rationabiliter rei cuiuſque

tempe-

temperamentum quantumuis varium apte nanciſcimur, vt confeſſus eſt etiam Gal. lib. de alim. facul. 2. cap. 61. & lib. 4. de ſimp. facul. quamplurimis in locis. Sed qua nam ratione ſapor, non temperamentum ſolum, verum & temperamenti gradum, ſeu determinatam oſtendat proportionem, non facile aſſequi datum eſt; attamen ego cū melioribus Philoſophis ſenſum, & rationem ſequutus, poſito ſaporum principia, calidum, vel frigidum eſſe, quatenus ſanè ad humidum ſicco permixtum, veluti agens ad paſſum certam habet proportionem, imprimis deduco tot eſſe ſaporum ſpecies, quot verè ſunt graduati exceſſus caloris, vel frigoris, ad humidum variè ſicco iunctum; alias ſapores temperamento non reſponderent; quare certis caloris, vel frigoris gradibus, nō varius, ſed certus reſpondet ſapor, & ex euidenter mutato ſapore, omnino etiam temperamentum ſubit mutationem: Neq; infiniti, & indeterminati ſapores ſunt, licet infinitè ferè cōtingat miſceri ſuorum principiorum extrema, ſed determinati atq; præcipui, ad quos omnes alij reducuntur, quos porro melior guſtus excellere annotauit, vt tactus qualitates tāgibiles ad certos gradus communi omnium experimento deducit. Sunt etenim ſapores calidi quatuor, nempe dulcis, amarus, ſalſus, & acer; frigidi ſunt duo, auſterus, & accidus, niſi addas & ponticum, quem auſteri principium aliqui poſuere, & ad hęs ſex, vel ſeptem differentias, palam reducuntur, quas omnes ponit Plato in Timeo, Ariſt. de

anima,

anima, & de ſenſilibus, Theophraſtus de cauſis plantarum, atq; Gal.lib. ſimp. facul. Quorum equidem ſaporum omnium, vt accurate notabat Gal. ibidem lib. 1. cap. 38. licet impoſſibile ſit ſingularem rationem exprimere, attamen ſaltem cuiq; ſano ſenſu prædito per experimentum illa facile ſuggeritur; atq; ex ſingulis ipſis aptè iam agnitis, temperamenti proportio commode deducitur. Et à ſaporibus calidis ſumpto principio, equidem ſapor, qui dulcis, quoniam vt nobis temperie omniũ ſimetra donatis, maxime conueniens eſt, ita periocundus, & guſtantibus maxime ſuauis, & adhuc licet palatum moueat, non niſi tamen mediocritate mouet, quia ex caliditate mediocri in ſubſtantia non admodum craſſa ducens originem, moderate calefacit, moderate humectat, & moderate, citraq; omnem vim, apertos linguæ, & palati ſubintrans meatus, ibiq; manens delectationem parit non mediocrem; vnde iure ille primo gradu caloris duntaxat continetur, cum ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus res ſincere dulcis adminiſtretur, vix ab ea nos calefieri percipiamus, niſi vltro demonſtretur, quod & Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 9. & 10. multis explicare contendit. Humiditatem verò dulcedo innuit manifeſtam, ſed non maximam magnam vè, quæ temperiei potius aduerſatur; ea perinde ad ſecundum ferè gradum vſq; ſe extendit. Neque facit difficultatem, quod non omnibus eadem dulcedo bene ſapiat, quia non omnes ſapidum guſtēt linguam planè ſecundum naturam affectam habentes,

bentes,ſed vel calidiores quam conueniat, vel frigidiores,ſeu toto corpore, ſeu pertinētibus ad linguam effecti; vnde quę potius in oppoſitum alterent auidius poſtulent, ſibiq; ipſis aliud, alij autem aliud iocundius eſſe iudicent. Cæterum cum dulcis ſapor aſperitatem leniendo laxet, & molliat, vt etiam notauit Gal. lib. 5. ſimp. facul. cap. 26. videtur ideo omni ſiccitatis exceſſu carere.

Dulci ſapori opponitur acer, puta quia ex ſe a noſtri temperamenti mediocritate valde longe diſtet, imo, ſiue extra, ſiue intra,bene affectis corporibus perperam adminiſtretur, non parum lędat,& aliquando corrumpat; quapropter ex ipſa exceſſus qualitatis extremitate merito ducit originem, fitq; ex calore quartum iam gradum occupanti; quo certe nullus maior calor eſt, quod latius ſcripſerat Gal. lib.4.ſimp. facul. cap.18.probans Platonis, Ariſt. & Theophraſti teſtimonijs, ſaporem hunc omnium eſſe calidiſſimum, cui opinioni neque vllum Antiquorum fuiſſe dicebat aduerſum. Sed quantum ad ſiccitatem ſpectat, nobis plurimum arridet Auerroes ſuo Colliget. lib. 5. cap. 27. ſaporem acrem ſimpliciter calidum pronuntias, & ſiccum, illum quaſi a calore ſummo, ſummaque poſſibili ſiccitate creatum fateatur, & ſanè ex eo, quod interagendum igneitatem ſibi ineſſe propriam manifeſte oſtendat, vt quilibet ſano donatus ſenſu, vel vnà veritate coactus palam confitebitur: ſiquidem deguſtatus linguam, & os acrimonia ferit tanta, atque ad aculei inſtar

com-

compungit, ſimulatque calefacit acriter, & interdum exurit, vt igneæ ideo naturæ participem, perindeque ex ſumma caliditate, poſſibilique ſiccitate, quæ caloris lima eſt, productum merito aſſeueres. Neque eſt quod quis obijciat, acria non pauca vberem interdum admixtam habere humiditatem, propterea corporum eiuſmodi non pauca a nobis citra nocumentum eſitari, quinimo ex his pleraque nos doceat experientia facile admodum ſolere putreſcere, facile perforari, & carie corrumpi, quod nulli eorum, quæ planè ſicca ſunt, vſu venire videmus. Quoniam licet hæc vera ſint omnia, ex quo tamen non ſapor, ſed ſapidum proponatur, nempe non ſapor acris ſolitarius ex ſuis ortus initijs, ſed in multiformi ætherogeneoq; ſubiecto conſiſtens, in quo ob partium diſſimilarium multiplicem cõplicationem, fit, vt aliquibus cum ſicciſſima temperie propria, proprius quoq; ſapor inſit acerrimus, veluti quid ferè ſimile placebat Gal. lib. ſimp. facul. 4. cap. 7. aliquibus autem contra cum humiditate manifeſta inſit etiam dulcedo non inſuauis, vt notabat Gal. lib. ſimp. facul. 4. cap. 18. quamobrem euenit, vt non ſolum quæ acria ferè omnibus, vel primo quoq; ſenſu, exiſtimantur, ea adhuc ob dulcem, temperatãq; admixtam ſubſtantiam poſſe nutrire; Inſuper & externo ſuperuenienti calore ſuperuacaneo poſſe putreſcere, & carie corrumpi, ſed quæ ſincere, & proprie citra miſcellã acria ſunt, ſanè ea calidiſſima, & poſſibili ſiccitate ſicciſſima ſunt, magis quidem in in

animatis, at in inanimatis, ex quo vita cũ ſumma ſiccitate ſtare non poteſt, ideo ſaltem pro poſſe ſicca illa cenſentur; quod ſi vltro effectus agant ſumme ſiccitati pares, vtiq; eos ex accidenti agunt, & fortaſſe totius temperamenti facultate, ſed de hoc alibi. Sed cum dictum ſit, ea, ſiue intra, ſiue extra adminiſtrentur, facile ledere, & maxime intra, ſi eſitentur, quod interiora viſcera omnia molliora, & teneriora ſint, lediq; promptius, quã partes externæ poſſint. Cauendum idcirco ex Gal. lib. 3. de temp. cap. 3. illud veritatem habere duntaxat, dum ea in pauca exhibeantur quantitate, vel dum alijs admixta propinentur, quoniam tunc præter quam quod ex ſe, vel alterius obruta copia, parũ valeant, adhuc tunc illa commodius ſuperantur, conficiunturq;, & partium in eis perficitur ſeparatio tanta, quanta adamuſſim competat, vt quod conueniens in eis eſt aſſimiletur, at quod ſuperuacaneum, acre, & inutile eſt, debitis vijs vtiliter excernatur, nunquam enim quod verè acre eſt, multũq; eſt, & nulli permixtum, apoſitè eſitatur, velut contra fit, ſi pro obſonio, vel condimento, medicamento vè adminiſtretur, vt docet Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 18.

Inter dulcem, & acrem ſaporẽ, collocantur medij, nempe ſalſus, & amarus, quippe non ſimpliciter acres ſint, & a dulci ſumme diſtent, ſed mauis ſubacres, quia acredinis participes iure dicendi ſint. Verum ex his, vt poſt acrem (quantum ad calorem ſpectat) eſt amarus. Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 18, ita poſt amarum, ſalſus eſt. Auctor lib. de ocu-

oculis apud Gal. part.5. cap. 2. quia ſi ſalſum plus excalefeceris, amarum euadet, Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 20. Cæterum manifeſtè, tam ſalſa, quam amara calefaciunt, vt vltro nulla demonſtratione indigeant, attamen amara ſæpe vehementer, ſi quidem alterent, cum proxime ad acrem pertingant, Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 18. quod re vera per ſe nunquam præſtant ſalſa, & merito cum licet amaris apropinquentur, non obſcura tamen diuerſitate diſſident, Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 21. perindè amara calida ſunt in tertio, quod aperte docet Gal. lib. 6. ſimp. facul. cap. de Abrotano, vbi cum dixiſſet, Abrotanum calidum eſſe, & ſiccum in tertio ordine, ſiue receſſu, ſubiungit poteſtea, eum eſſe ſummè amarum, innuens clariſſimè, quod quæ hoc ſapore ſunt prædita, tertio a mediocritate receſſu calefaciant. Sed quæ ſalſa, cum ab amaro longè diſtent, in ſecundo erunt calida; quod Iſaac libro de dietis cap. 12. Serapion de ſimp. med. cap. 409. Auicennas lib. 2. cap. 624. expreſſe atteſtantur. Quantum præterea ad ſiccitatem, tum amaritudinis, quam ſalſedinis pertinet, non dubitandũ quin vtriq; ſapori ea ſemper inſit, quando ſal conditura ſua corpora ſiccet, & a putredine tueatur, quia vt dicebat Gal. lib. 11. ſimp. facul. cap. de ſale, quicquid corporibus humidũ ſuperans ineſt, id quodammodo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, adſtrictione contrahit, quippe quæ putreſcunt, excrementitium continent humorem, ſubſtantiamq;, tum diſſolutam, tum minime

compactam, quibus ergo corporibus nulla prorſus eſt humiditas ſuperflua, ceu melli optimo, aut corpus ſolidum eſt, atq; compactũ, ceu lapidibus, ea vt putreſcant eſt impoſſibile, ac proinde in his, ſalis non requiritur vſus, ſed in his ſolum, in quibus ſuſpecta putredo eſt. Deinde quod ſapor amarus ſiccis temperie corporibus inſit, ex eodem, idẽ probat Gal. lib.4. ſimp. facul. cap.20. quod ſcilicet minime omnium amara putreſcant, (intelligas de ſincerè, & primo talibus exiſtentibus, nullam videlicet alienam prorſus ſubſtantiam habentibus dulcedine participem)& nullo modo vermes, aliaque nonnulla animalcula, qualia in radicibus, herbiſq;, ac fructibus putreſcentibus prouenire ſolẽt, ob nimiam amari ingratitudinem, procreent, ac nutriant, maximè namq; videmus in humidis naſci corporibus vermes, ac putrilaginem. Cæterum ſalſedinem minorem ſemper ſiccitatem habere, quam amaritudo habeat, patet expreſſe, illudque dixit Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 21. Sed cur ſalſa ſiticuloſa magis ſint, quam amara, ſi illa humentiora ſunt, & minorem obtinent calorem; ratio eſt, quia amarorum minus deſumimus, ſalſorũ verò plus, amara ſanè cuncta abhorret, & abominatur natura, ſalſa apetit, & concupiſcit abundè, grataq; magis palato hominis ſunt, vt benè Theophr. lib. 6. de cauſis plant. cap. 1. quo fit vt talia condimenti loco habeantur: Adde ſalſa colliquefieriq; & in ventriculo, ac ipſius ore imbibi, impingiq;, & vndequaq; partem ipſam alterare, cum tamen

men amara in extimam tantum ſuperficiem agāt, nec intimius peruadere quærant; quam ſimiliter ob cauſam Gal. lib. 4. de regim. acut. com. 8. ſalſum magis exiccare quam amarum pulchre dicebat. Num verò ſalſa pituita ſitim maiorem inducat, quam bilis, contendant Aſcitici, & ardenti febre laborantes, quorum hi quidem ob bilioſum humorem, & amarũ, illi ob pituitoſum, ſed ſalſuginoſum, ſummopere ſitiunt. Nos vero gradum ſiccitatis in ſalſo, & amaro, ſic propius decernamus, cũ ſummæ amara, vt de Abrotano dictum eſt, ex Gal. & re veraſicca ſint in tertio, ſalſa autem amaris longe minus ſicca ſint, ſalſa vtiq; in ſecundo ſicca extimabuntur.

Saporibus his calidis accedunt frigidi, põticus videlicet, auſterus, & accidus, qui a frigore in humidum ſicco temperatum agente habent originem, de quibus ſane vltro nihil in præſentia diſſerendũ, quod non niſi qui ex calore fiunt noſtro propoſito aptè deſeruiant. Sapores itaq;, hac duntaxat ratione, proprium vnde fluunt temperamentũ oſtendunt, & porrò ſi ſimplices, atq; ſinceri ſeorſim exactè cognoſcantur, quoniam ſępe, imo vt plurimum contingat eos inuicem in vno, & eodem ſapido permiſceri, inuicemq; ferè confundi, quamuis qui fuerit in agnoſcendis ſimplicibus exercitatus, non multo negotio ipſam complicationem intelliget; intelligetq; demum quale primum in mixto vigeat temperamentum, & quale ſecundo, quoniam ſcilicet re ſapida, diligenter, ac multifariam pertra-

ctata, ſaporem vnum prædominari, alterum verò ſubdominari iam recto guſtu ſentiet, denominationemq; capiet a primario, vt capit etiam Gal. lib.4.ſimp.facul.cap.18. qui quædam acria admixtam habere amaritudinē inquit, quæ tamen amara verè dicenda non ſunt, quandoquidem hæc in eis lenis exiſtat,& infirma, valida autem acrimoniæ vis. Sed hæc ſaporum mixtura ſine dubio ex ſubſtantiæ ætherogeneitate contingit, quam varia ſequuntur temperamenta, diuerſorum ſaporum principia, vt innuit etiā Gal.lib. ſimp. facul.4.cap. 12. & 18. etſi plerumq; ijs, qui inexperti fuerint, ſimilis quodammodo mixtura in ſaporibus medijs eſt aliquando viſura, quamquam verè non eſt, apparet enim in amaro acrimonia quædam, quoniā amarum quodammodo eſt acrimoniæ particeps. Gal.lib.4.ſimp.facul. cap. 18. amarum tamen verè acre non eſt, ſed ſubacre aliquibus nuncupatur; quod ſi aliquando acris ſaporis effectus agat, hoc eſt ex miſcella ſubſtātiæ verè acris, & non vt amarum eſt. Diligens ergo veritatis indagator attendet omnia hæc,& vltro etiam ne, vel per ſe, vel ex accidenti, hoc eſt ab extrinſeco ſuperuenienti alio, quid diuerſum acceſſerit, vnde quale eſt videatur.

Vtcunq; tamen res ipſa fuerit, adhuc forte quis ex ſaporibus veritatem temperamenti, plantarum exemplo, aſſequi poſſe negabit, quando expreſſe pateat, fructus qui plantarum effectus ſunt, in vna eademq; planta numero, ab immaturitate ad maturitatem, mutare ſapores proprios, eadem nihilomi-

lominus manente plantæ ſpecie. Sed qui prudens & in naturalibus doctus extiterit, facile reſpondebit, ex fructibus plantarum effectis non rectè colligi plantarum temperamentum, ſed colligi ſolum plantarum ſpeciem ſimilem, ſumpta coniectura ex ipſa fructuum ſimilitudine, vt ex ficubus plantam eſſe ficus, ex pomis eſſe plantam pomi; Etenim fructuum temperamentum non æque ſemper plantæ temperamento reſpondet, quoniam hi partes plantæ non ſunt, ſed potius partus, vt fætus matris, veluti bene Iul. Cæſar Scaliger ad Theoph. de cauſis plant. lib. 2. c. 22. qui ſane partus ex luxurianti plantarum alimento ducētes originē, ab externo quouis mutationē ſubeunt, nempe vel ex pabuli varietate, vt (Perſici exēplo apud Gal.) docet tū ſoli natiui mutatio, tum ipſa cultura; vel inſuper ex ſolis aſpectu vario, quo valentius, vel ſegnius hi conficiuntur, & perinde hi cum multiplicem facile aſſequātur externā alterationem, facile etiam saporē mutant, quod ſexcentis in locis legimus ſemper obſeruatum apud Catonem, Varonem, Columellam, Palladium, & Conſtantinum, antiquiſſimos de re Ruſtica ſcriptores. Atq; hinc, coronidis loco, cauendum de ſaporum origine non licere eam facere coniecturam, quam nonnulli ex mutuo ipſorū congreſſu, & tranſitu lubricè nimis aliquando fecere, poſteaquam ex vno ſæpe alius, & ſæpe contra diuerſus obſeruetur, quod equidem ob variam, & multiplicem agentium externorum occaſionem contingit, vt in fructibus ipſis dicebamus.

Sequuntur modo odores, a quibus etſi non certa, & euidens, adhuc tamen non contemnenda temperamenti habetur coniectura, quia re vera, vt Ariſt. lib. 2. de anima cap. 5. de Senſili cap. 5. Theoph. lib. de cauſis plan. 6. cap. 5. & Gal. de ſimp. facul. lib. 4. cap. 22. Odor qualitas quædam eſt ſapori reſpondens, quæ per euaporationem ab odorabili effuſam, ambientiq; permixtam, narium demũ inſpiratione ad cerebrum defertur, & ſenſum mouet, vt perinde corporum quorundam nos etiam non guſtantes ſolo odore qualitatẽ agnoſcamus, veluti puta eduliorum, quæ putrilagine ſint corrupta, quę inquam omnino nec guſtare quidem aggredimur, quia fidei multum habeatur odoratui, cum ex eiſdem prorſus principijs odor ducat originem, ex quibus & ſapor, ex temperamento nempe mixti cuiuſuis. Vnde niſi magna eſſet ſenſus noſtri odoratus hebetudo, vt Ariſt. lib. 2. de anima cap. 5. de ſenſili c. 4. omnibus vtiq; ſaporibus proprium odorem reſpondere nos ſentiremus; Verum tamen cum eos ſolum ſentiamus, qui ſenſum vehementer mouent, hi autem quodammodo quidem, ex communi omnium conſenſu, accidum, acrem, amarum, & ſimiles repręſentent, vt inde quaſi propriam denominationem deſumpſiſſe videantur, quod obſcurè nimis tamen id præſtent, ex Ariſt. lib. de ſenſili cap. 5. ideo ex Gal. lib. ſimp. facul. 4. cap. 22. ad duos ſolum, ad duo quaſi genera, ipſos omnes aptè deducimus, ad beneolentes ſcilicet, habita proportione quadam ad ſapores, qui

guſtui

guſtui ſuauiores ſunt, & ad graueolentes, ex proportione inquã ad ſapores, qui a ſuauioribus magis minus vè recedunt. Quamobrem ex odore, quid ad temperamẽtorum notitiam colligi poſſit, non ita facile vir prudens, & doctus iudicabit, quãdo tam calida, quam frigida odorem ſpirare videantur. Et licet Gal. lib. 4. ſimp. facul. c. 22. quæ odorata ſunt omnia calida eſſe proferat, quod cõfirmauit Thoph. lib. de cauſis plan. 1. cap. 27. & demum ipſe Ariſt. lib. 12. problem. 12. Contrarium nihilominus veritate coactus videtur etiam velle Gal. lib. 2. ſimp facul. cap. 3. vbi apertè ſcribit, non omnia bene olentia eſſe calida, afferens exemplum plurium refrigerantium, bene tamen olentium, puta violarum, roſarũ, nimphæ & aliorum, quin imo ipſemet Gal. lib. de odoratus inſtrumento cap. 4. & 6. in cerebro ex ſolis exuſtione affecto, laudat roſarum odorem, & lib. 13. methodi cap. 21. in phrenitide, iubet odores, & certè tantũ frigidos naribus adhiberi. Quam controuerſiam niſi quis per ſubſtãtiæ ætherogeneitatem dirimat, vtiq; tollere impoſſibile eſt, imo quin ex ea veritas impugnetur euidenter prohiberi non poteſt, poſteaquam re vera odores aliqui calefaciunt, aliqui verò frigefaciunt, vt docet experientia. Verum odores omnes dices eſſe calidos, quia odorabilis res, quanto naſcatur ſolò calidiori, tanto odorabilior ſentiatur, quanto verò frigidiori, tanto inodorabilior ſit, quippe frigiditas odoribus aduerſetur, Ariſt. de ſenſili cap. 5. Theoph. de cau-

ſis

ſis plant. 6. cap. 25. attamen ob frigidam ſibi annexam prædominãtem ætherogeneam ſubſtantiã, frigido ſcilicet præditam temperamento, rem eam magis, aut minus frigefacere. Quidquid ſit, ego ſenſum ſequutus, & naturam, tum calidos, tum frigidos odores eſſe cenſerem, vt & ſapores ſunt, quibus ipſi reſpondent odores; Neq; in hoc pudet Gal. a manifeſta contradictione non liberare, quando ſciam plures ſectarios reperiri Medicos, qui in conciliandis auctorum aduerſis ſententijs plurimum inſudant, vt merito his libere relinquendus labor videatur. Licet enim ego Hipocratem, Platonem, Ariſtotelem, & Galenum, quatuor naturalis ſapientiæ lumina ſummæ ſemper ſim veneratus, credidi attamen ſemper rationi, & ſenſui attendendum eſſe magis, quibus perinde niſi apertè conſentiant hi, vanam eſſe eorum auctoritatem putem, vnde neq; in præſentia veritatis dicendę cauſa, horum ego, & aliorum vterer teſtimonijs, niſi cum viris agerem, qui, leguleiorum more, vel iure, vel iniuria, nimis auctoritati tribuunt, quales inquam ſemper damnarunt viri ſapientes, vt prææteris damnauit ipſe Gal. At quod frigus aduerſetur odori, faueat autem calor, vtiq; non eſt quia frigidum ſit inodorum, illud quippe cum ſaporem faciat, faciet neceſſario etiam odorem; ſed eſt quia cum res odorabilis per euaporationem calore eductam reddatur odora, proculdubio ambienti exiſtente frigido, res ipſa condenſatur, conſtipaturq; nimis, nec euaporabilis reddi-

tur,

tur, propterea inodora; contra ambienti exiſtente calido, rareſit, & attenuatur, euaporatq; facilius, & euidentius odorata apparet, quod ſolum voluit Ariſt. & Theoph. locis citatis. Atq; hinc certè ſit, vt cum non facile calor, vel frigus per ſimplicē odorem ſecernatur (etiam ſi odor, auctore Auicenna, ex calido, vel frigido, acutus, vel mollis appareat) ideo iure vltro effectus odoris obſeruandi ſint omnes, qui ſi frigidi per ſe fuerint, omnino frigiditatem arguent, ſin verò calidi, caliditatem, adeo quod ſi res vnde peruenerint, alijs euidentibus notis, calida videatur, & rurſum valde odoret, veriſſimum erit rem illam eſſe calidam, calidumq; odorem eſſe, contra ſi rem alias ſe habere planum fuerit. Reſtat odoris ſiccitas, vel humiditas, in quibus etiā non parua videtur controuerſia, quando Ariſt. odorem ſicci eſſe apertè teſtetur, 2. de anima cap. 5. de ſenſili cap. 5. ea potiſſimum experientia ductus, qua patet ſapida, quæ ſicciora, ea ſemper odora eſſe, humidiora contra, quod etiam confirmauit Theoph. lib. de cauſis plant. 6. cap. 24. eo exemplo, quo ipſe inquit fructus agreſtes odoratiores vrbanis ſui generis, quia ſunt agreſtes vrbanis ſicciores, quamobrem vt quę ſapida ſicca ſunt, veluti ſunt amara, ita ea odora magis, imo, vt Theoph. lib. 6. de cauſis plant. cap. 13. initium boni odoris amarum eſt, odoratumq; quin ſit amarū comperi eſt impoſſibile, quod ibidem longe ſatis, & aperte probat, & veritatis exemplum eſt in ſpoa, moſcho, zibeto, & alijs huiuſmodi, quæ odora-

tiſſi-

tiſſima ſunt, ſuntq; amara expreſſè. Verum ex aliâ parte Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 22. manifeſte contrarium profitetur, dum ait, amarum nunquã odoratum eſſe, quoniam non vaporabile, quippe non humidum, ſed ſiccum ſit nimis, odor autẽ per euaporationem apparet ſenſibus, quæ euaporatio per humidum fit, etſi coctum, & ſapidum cum ſicco mixtum. Quapropter cum amara ad euaporationem ſint ob ſiccitatem inepta, ea merito nunquam erunt odora; Qua in re cum multi multa loquuti ſint, horumq; nullus adhuc pro controuerſiæ vera concordia aliquid attulerit; Sanè nos quoq;, quibus, vt neutiquam Ariſtarcum facere libuit, ita in ſedandis auctorum controuerſijs, oleum, & operã perdere voluimus nunquam, vt puta quorum verbis expreſſis ficta ineſſe recondita ridiculum ſemper opinati ſimus, laboris ideo huiuſce palmam differentiarum conciliatoribus adipiſcendam relinquemus, qui pro Ariſt. vel Gal. continuo mordicus certant, & ſolum more noſtro rei naturam per ſenſum perſcrutantes, rationabiliter pronuntiabimus, odorẽ ex ſe nec omnino ſiccum, nec omnino humidum eſſe, quod ſiccitas ſumma euaporationem nõ permittat, qualem falſo ſemper Gal. putabat in amaro, atqui humiditas ſumma inſipiditatem faciat, ex qua nullus odor, non autem humidum ſicco permixtum, quod Theoph. loco citato doctiſſimè exprimebat, dum quaſi diceret, odorem ex ſapido fieri, ex humido ſcilicet ſatis concocto, vel ſiccitati permixto, ita vt quanto in ſapido

do humidum magis tale fuerit, tanto tale ſapidum odoratius, contra quanto humidum minus tale ſit, quia magis crudum, & aqueum, ideoq; ſaporem habetans, ideo inquam minus odorum, quod expreſſè experimur in multis; Quare ex odore ſi rei temperamentum (quantum ad ſiccitatem ſpectat) aſſequuturi ſimus, certè res odora non prorſus ſicca eſt, nec prorſus humida, ſed humida ſicca, nempe humiditate concocta, & quadantenus exiccata, donata, vnde res quanto odoratior hoc modo, tanto ſiccior extimabitur. Itaq; haud tuta res eſt ex odore de ſenſibilium temperatura conijcere, perinde vt ex ſapore. Et vt bene Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 23. rei huius maxima potiſſimaq; cauſa eſt; quia cum in odorabili ſit ſubſtantiæ æthereogeneitas, ſanè non æquè omnes partes illius euaporant, odorabileſq; ſunt, nec proinde omnes ſimul ſenſum mouent, ſed ille tantum, quæ ſunt tenuiſſimæ, & in halitum ſubleuantur, cum tamen in guſtu omnes guſtabilium corporum partes ſimul in linguam incidant, cunctæq; ſenſum moueāt pro ſua natura, ac proinde ſapores in ſignificandis rerum naturis certiores ſunt, pluſq; veritatis obtinent, deinde odores.

Ex coloribus equidem valde minus agnoſcitur coloratæ rei temperamentum, imo nec ex conſiſtentia, ponderoſitate vè rei eiuſdem; illud tuto conijcitur, quando hæc totius ſubſtantiæ modum potius inſequantur, quam temperamentum; modus autem nihil ſupra entitatem addit, vt certum

eſt;

eſt; Hæc illa verò ſub contrarijs temperamentis integra, & meliora frequentiſsimè reperiuntur, nec ita vnius ſunt propria, vt alterius eſſe nullo modo poſsint, quemadmodum veritate ductus dicebat Gal. lib. ſimp. facul. 2. cap. 3. & lib. 4. cap. 23. ſiquidem cum dixerit Ariſt. lib. de ſenſili cap. 4. colorem eſſe terminum perſpicui in corpore definito, ſeu terminato, quem videndi facultas per oculum medio lumine percipit, ita vt ex varia miſcella perſpicui cum opacō euidẽter color fiat, hæc autem miſcella variam ſequatur partium ſubſtantiæ conſiſtentiam, ex qua demum conſiſtentia leuitas oriatur, & pondus, propterea cum conſiſtentia ipſa ſubſtantiæ ex ſimilibus, & diſsimilibus fiat, puta ex calore, frigore vè, vel aliunde, vt longius Ariſt. 4. metheororum docebat; Sequitur ideò neceſſario colorem, conſiſtentiam, & denique ponderoſitatem in rebus, non ex temperamento vno, & eodem naſci, ſed ex varijs; vnde nil mirum ſi hæc in vno ſępe talia, quæ in contrario etiam ſimilia ſunt, adeo quod licet ad rei integritatem, & bonitatem agnoſcendam, hęc maxime facere planum ſit, vt prudẽter nos docuit Ioannes Meſues lib. ſuo de ſimp. ſoluentibus agnoſcendis, ad temperamenti tamen cognitionẽ ferè nihil præſtare videntur, quod perinde ſolum præſtent, atq; ea, vnde ij, qui ex imagine, aut ficta, aut picta cognoſcere quempiam volunt, cum ipſum aſpicere denegetur, quem agnoſcere cupiunt. Itaq; etſi hinc quoq; de præſenti rei bonitate coniectura fieri queat, tamen ſer-

moni

moni adijcietur, optimum eſſe per diſcretam experientiam eiuſdem temperamentum inuenire, in hoc enim falli non poſſumus, quamquam prius quam experientiam feceris, guſtus pleraq; indicet, paucula aprobante ipſo odore.

CAPVT VIII.

Ex præmiſsis palam demonſtratur intentum, lignum nempe Sanctum, Guaiacan vè verum, ſpecie, & natura longe differre a ligno nouo, nuper ſcilicet in Italiam, & Romam potiſsimum delato; Sumpto etiam principio ex vtriuſq; ligni colore, & aſpectu, demum ex odore, tertio ex ſapore, & vltimo ex tactilibus qualitatibus proprijs.

ATQVE his ita præmiſsis, quod pſeudolignum hoc a noſtro Guaiacan, Sancto vè ligno, nõ maiori, minori vè bonitate, ſiue præſtantia ſolum differat, ſed adhuc (quod nos contendimus) & ſpecie, ſiue natura, & forma, ita

vt nullo modo lignum Sanctum ſit, niſi arbitratu ſuo quiſpiam illud tale eſſe effingat, eſſeque velit. Sanè comparatis adinuicem ſingulis, quæ ſenſu in ligno vtroq; palam ſentiuntur, deductaq; ex his omnimoda conſtitutionis, tam ſimilaris, quam diſſimilaris differentia, euidenter demonſtrare conceſſum eſt. Verùm hic, ſi vel vnquam, mentem, & ſenſus non bilioſa amarulentia deprauatos, pituitoſa vè oppreſsione obrutos, hebeteſq;, & ſupinos redditos, nec demum attrabilari acrimonia in furorem adductos, illis, qui dicendorum iudices eſſe volunt, ineſſe deſideramus, ſed ſanos duntaxat, integros, ſobrioſq;, quales virum ſapientem ingenuè rerum naturam contemplantem decent, illos habere ſummopere exoptamus, quando tota rei propoſitæ determinatio ex ſolo ferè ſenſu primum ducat originem. Atqui quoniam ex ſenſatis in vtroq; ligno repertis, veram, vt dicebamus, differentiam nos diuino fauente numine demonſtraturi ſumus, fortaſſe quiſpiam, ipſo ſtatim comparationis exordio, ignorata plantę imagine, eiuſq; folijs, floribus, & fructibus, quorum ſanè præſentia citra difficultatem quis omne lignorum ſpecificũ diſcrimen vel digito indicat, impoſſibile nos verã eorum diſcriminis cognitionem conſequuturos, mordicus contendet; quando planum ſit ligna plura ex diuerſis plantarum ſpeciebus cæſa valde eſſe ſimillima, vt puta ſunt, ex Ioãnis Baptiſtę Mõtani Egano agri Veronenſis, ex palma Conſalui in Americis, ex apud nos cognita Anagyri, Buxo, &

alijs.

alijs,quæ cũ ligno Guaiacan multum conueniunt. Adeo quod niſi cuiuſuis ligni, tum plantæ effigies, tum folia,flores, fructuſq; ſint conſpicui, impoſſibile omnino videatur ſpecificam eiuſdem haberi poſſe differentiam. Sed etiam ſi verum ſit, quod corpora multiformia, eaq; integra (etſi inter imperfectiora collocentur plantæ) propriæ formæ occaſione, variam imprimis habent partium componentium diſpoſitionem, per quam dein varios, differenteſq; producunt effectus, ita vt ad agnoſcendam corporum horum ſpecificam differentiã, minime ſat ſit fruſtum quoduis eorum ab alio fruſto diuerſum præoculis habuiſſe; ſed vltro integrã totius diſpoſitionem, conſtitutionem vè, cum proprijs inde manantibus effectis, ſufficienter prænouiſſe ſit opus; poſteaquam ad cognoſci res ita ſe habeat, vt & adeſſe illa proficiſcitur, in eoq; ſtat. Attamen quod in præſentia nos integram plantã plante neutiquam comparemus, vt vtriuſq; notitiam perquirentes, ſpeciei inſimul earum, & lignorum, ac eorum omnium, quæ cuiuſuis harum plantarum eſt proprium, ſimilitudinem, diſſimilitudinem vè aſſequamur, Sed fruſtum ligni ſolum ignotæ plantæ fruſto ligni alterius plantæ, etſi notæ, duntaxat opponamus, vt ex horum diuerſitate, ſimilitudineq; in ſpeciei plantę ſimilis, vel differentis, vnde peruenerint hæc, ducamur, quoadfieri poſſit, cognitionem; quod non niſi ex ſenſatis his, quæ in vtroq; lignorum fruſto reperiuntur, aſſequi conceſſum eſt; non ideo plantam prænouiſſe con-

G uenit,

uenit, vt ligni fruſta per ſpeciem agnoſcamus, cum potius ex ligni fruſtis plantæ ſpeciem ignotã perquiſituri ſimus. Et quamuis diuerſarum admodum plantarum ligna ſibi plurimum ſimillima videantur, vt manifeſtum eſt, in aliquibus nihilominus, atq; præcipuis erunt differentia, & in temperamento præſertim, quod in plantis corporibus licet diſſimilaribus, quia tamen imperfectis, maiorem ideo diſpoſitionis ad formam habet partem, ac his quę ex temperamento proueniunt. Atq; quantum ad effigiem eorundem lignorum ſpectat, ſi non omnimoda inſit diſſimilitudo, nec adamuſſim tamen omnimoda ineſt ſimilitudo, quin ab effigie vtriuſuis fruſti eorum, tanquã a notiori ſumptis ſcientię noſtre initijs, lignum Sanctum verum a pſeudoligno, ſaltem plus quam numero, differre confiteri liceat; ne ad pauca reſpicientibus nobis idem quod pueris forſam eueniret, qui ex communi nimis hominũ percepta imagine, omnes homines patres, & omnes fæminas matres nuncupãtes, deinceps meliori donati prudentia palinodiam canunt. Itaq; iam præſto ſit vtrumq; lignorum fruſtum, e ſua cæſum planta, è planta inquam ſuis integrantibus compacta partibus, quibus illa iuſtã adepta magnitudinem viuat. In vtriſq; autem effigiem propriam, quæ per partium conſtructionem, inditamq; illi conſiſtentiam, atq; colorem repręſentatur, diligenter expendamus. Et imprimis fruſtum ligni Guaiacan, quod & Sãctum dicimus, adſit; Id porrò tereti figura donatum ſuo obtegitur

tur

tur cortice, quo & tota planta ab externis tueatur iniurijs, colore quidem prædito quaſi cinereo, & fuſco, impermixtis attamen vltro quodammodo viridibus quibuſdam maculis, vt Conſaluus referebat, intus contra ad pullum vergit. Et in hoc fatemur nos, vel ipſo ſenſu coacti, pſeudolignum aduerſariorum cum noſtro Sãcto vero adamuſſim conuenire, quin imo vt vnius ætatis, ac ambientis iniuria in noſtro id varium eſt, ita in ipſo varium ſæpe eſt. Verum quod ad eiuſdem corticis pertinet tum craſſitudinem, tum conſiſtentiam, nulli dubium quod vniuerſim pſeudoligni cortex craſſior eſt, at noſtri veri tenuior eſt; præterea ille noſtri ligni veri haud valde denſus eſt, ſed tamen immodicè durus; At ille pſeudoligni non modo rarus, & ſpongioſus eſt, ſed quis quis vltro illum proprijs dentibus contundat, facilè duritiem in eo intelliget paruam; quippe facilè admodum conteratur; In noſtro autem oſſeam ſemper ob ſummam reſiſtentiam iudicabit. Nec fingant aduerſarij illum ſui alicũde eſſe ex itinere plus nimis alteratum, puta aqua maris, noſtri verò nequaquã; Quoniam qui fieri poteſt, vt tanta pſeudoligni copia non ſemel, nec ab vno ad nos delata, ſemper ex aqua maris detrimentum ſit paſſa? hoc enim vaniſſimum eſt, nec admittunt mercatores. Vnde notatu dignum pharmacopolæ putant, lignum noſtrum, quod recenter cæſum fuerit, corticem adeo firmiter hærentem habere, vt vix ferro ſeparari queat, licet poſtmodũ ex ſeipſo ille temporis progreſſu

greſſu promptè decidat. At in pſeudoligno, quod aduerſarij, vt a calumnijs euidentiſſimis ſeruent, faciunt recentiſſimum, non ſolum non firmiter hæret, ſed facillimè potius ex ſeipſo ſeparatur. Et hæc omnia de vtriuſq; ligni cortice ſine difficultate quilibet, qui vtrumq; lignum habeat, ſenſibus proprijs poterit experiri.

Iam ad totius ligni ſubſtantiam deueniamus, etenim ea ligni noſtri veri, quę extrinſecus vniuerſum ambit, ad ſubflauum, vel buxeum vergit, quæ verò interior (ſi quando fuerit) quam meditullium dicunt, nigreſcit ad fuſcum, atq; ſanè id magis, minus vè, quatenus magis, minus vè lignum fuerit vnguinoſum. Verum in pſeudoligno, vt longè minus pinguedinis eſt, ita ad album pullum externa pars vergit potius, interna contra obſcura, non ad fuſcum, ſed ad viridē euidenter inclinat; Adeo quod ex aſpectu, lignum hoc eam quaſi præſeferre illius videatur imaginem, quam in ligno quodam adulterino iam pridem ob vnam pernitiem, experimentis certis non ſemel agnitam damnato, ſapientes Medici Florentini in ſuo Antidotario diligēti cura animaduertunt. Ad hæc lignum noſtrum Sanctum pinguetudine ſcatet non pauca, imo vt Fernelius, & alij multi, ita ego non ſemel apud acuratum pharmacopolam, eius fruſta in partes diſſecta vidi, quæ multis in locis gummi concretū non parum habere obſeruaui, quamobrem tum ex aſpectu tota ſubſtantia eius vnguinoſa eſt, tum illud pertractāti vnctuoſitas eiuſdem fit manifeſta;

namq; recenter in ſcobem redactum reſilit, ipſaq; ſcobis ſi manibus aprehendatur, comprimaturq; ferè ſiſtit in vnum; Et vltro magis patet pinguedo, ſi vratur, vel inflammetur, quoniam inde ſemper gummi multum profluit; Pſeudolignum contra tũ ex aſpectu, tum ſi conteratur, in ſcobem vè rediga-tur, ariditatem indicat maiorem, & illud demum ſi quomodolibet contemplemur, nunquam quale lignum noſtrum extimabimus, imo adhuc ſi accẽdatur, inflammetur vè ex eo paucum admodum gummi emanat, emanat certè aliquid, quod in ſolidis, denſiſq; lignis ſemper pinguetudinis copia adſit, eaq; maior in denſioribus, quam in rarioribus, tenuioribuſq; (in omnibus enim lignis pinguedo reſinoſa, & oleaginea reſidet, vt pluribus per experientiã probat auctor Theſauri artis diſtillatoriæ, qui Euonimus philiater dicitur) atqui ſi cum illa ligni noſtri veri (cæteris partibus) compares, numquam tanta erit, lignum namq; noſtrum denſiſſimum, & ſolidiſſimum eſt, at pſeudolignum minus ſemper tale eſt.

Quamquam autem pſeudolignum in aqua ſubſidit, vt noſtrum verum ſubſidit, leuius illud nihilominus vniuerſim eſt, per certam effusę aquæ regulam, qua, vt refert Vitruuius, furtũ a coronæ aureæ fabro commiſſum Archimedes detegendum optimè nouit; neutiquam tamen ita dẽſum, ita ſolidum illud, vt noſtrum eſt, quippe noſtrum tanta denſitate viget, vt ferè ſumma lenitate præditum videatur, tantoq; durũ, vt vix ferro ſuperari queat

at pſeudoligni ſubſtantia, præſertim exterior, quæ albior, eſt in quolibet fruſto rara valdè, nec lenis, ſed aſpera, atq; poroſitatibus referta euidentiſſimis, quæ verò interior ad viridem vergit, ea certè denſior, ſed denſiſſima, & ſolidiſſima eſt interior ligni noſtri veri, perinde lignum noſtrum verum duritie robur omne ſuperat, tum prędurum eſt, vt quamminime hiet, neq; facilè videas, quod rimas notatu dignas, profundas vè traxerit. Pſeudolignũ contra ob eius raritatem nunquam ita durum dices, quin imo nõ raro ſiſſuris expreſſis, profundiſq; hiaſcens, atq; fatiſcens obſeruabis, inditiũ euidentiſſimum maioris aquoſitatis, minoris autem pinguetudinis, qua illud ipſum compactum, vt noſtrũ perſiſtat, & vnitum longius duret, quia ſcilicet difficillime reſoluatur, exicceturq;, vt illud facillimè, ideoq; promptius contrahitur.

Atq; ex omnibus his planè euidentiſſimum eſt quam lõgè diſtet noſtri veri ligni Sancti effigies ab illa pſeudoligni aduerſariorum; adeo quod etſi inde neutiquam liceat ſpecificam vtriuſq; arguere differentiam, licet ſaltem magnæ varietatis facere coniecturam, & eo præſertim magis, quod non in vno, vel altero vniuſcuiuſuis ligni fruſto ſolum obſeruetur omnia hæc, ſed in omnibus, & ſingulis ſemper, & perpetuo; Quatenus igitur propriæ ſpecificæ differentiæ veritas elluceſcat iam deinceps ex temperamento deducamus; quoniam per præmiſſa certi ſumus, ad diſſimilaris, minus tamen perfecti corporis, formæ eductionem, qualis illa

totius

totius, vel portionis plantæ eſt, qualitatum primarum temperamentum imprimis fore neceſſarium; licet adhuc partium componentium concentus, qualiſcunq; fuerit, non negligendus videatur; Ita enim verè, ne ligna hæc inuicē maiori, aut minori bonitate solū, ſiue præſtantia, an mauis omnino forma, atq; natura diſtent, euidens erit. Quæ verò rei cuiuſuis mixtæ proprium arguunt temperamentū tria ſunt, vt dicebamus, odor, ſæpor, & tactilis qualitas, ergo ex his quoq; ligni vtriuſq; temperamentum perquiremus (neq; enim in vtroq; aliud euidentius reperitur, ex quo de temperamento liceat apertam facere coniecturam) Ab odore autem ordiamur, vt puta a quo primum poſt colorē ſenſus moueatur. Equidem ex ligno noſtro vero, dum adhuc integrum eſt, ſi illud quadantenus pertractetur, odor manat longè a communi lignorum odore diuerſus, etenim ſuauis ille eſt, & olfacienti verè gratus, veluti quilibet per ſeipſum experiri poteſt; Atq; odor hic illi verè proprius eſt, nec aliunde impreſſus, quoniam ſemper, & vbiq; ineſt, etiam ſi non ſemel, ſed ſæpius conficiatur, elixetur, vel accendatur, ſeu inflammetur. Ex pſeudoligno autem contra, tractanti ipſum nullus odor occurrit, quod ſi inter ipſum exurendum, vel elixandum, odor quadantenus ſpiret, vtiq; ſi attentè obſeruetur, ille non niſi quid fumidum ligneū eſt, & licet ob quandam adnatam reſinoſeitatē, ligni noſtri veri odorem quodammodo æmulari videatur, re vera tamen fragrantis illius, quam lignum noſtrum verū

ſpirat, ſuauitatis omnino expers eſt. Itaque hinc iuxta præmiſſa nemini dubium, quin ex de odore enarratis, lignum noſtrum natura ſua humidum ſit magis, quam pſeudolignum ſit, quippe vaporabile magis videatur, odor enim per vaporem communicatur, qui in rebus valde ſiccis vix modicus patet; humidum ſanè dico non fluuidum aqueum, ſed vnctuoſum, quod ideo a calore ſufficienter elaboratum eſt, ac ſicco permixtum, & eo porrò certius illud tale cenſendum eſt, quo pateat ligni noſtri odorem non fumidum tantummodo ligneum eſſe, ſed fragrantia ſapidum; ita vt planè conſtet per vaporem humidi confecti, & elaborati vaporabilis, non ſimpliciter humidi, vnde propriè inſipidum fit, & inodorum, communicari; hoc ipſo autẽ ſimpliciter humido aqueo extraneo, crudo, & inelaborato ſcatet pſeudolignum euidenter, quoniam ſi longius ſub ſole permanſerit, quancitiſſimè exiccatur, contrahitur, atq; valdè fatiſcit, quod noſtro ligno vero, vt puta humido vnctuoſo, ac ſubſtantifico plurimum referto, non contingit, ſed compactum, & omnibus ſuis partibus ęque vnitũ, licet etiam longius ſteterit ſub diu, cõſiſtit perpetuo. Quod ſi interim queras gradum humiditatis, vtiq; cum ſolum per demonſtrationem indicetur, primum illa gradum non excedet. Verum poſt hæc ex hoc ipſo odore, exq; eius præſentia, aut defectu; vtrumlibet lignorum calidum, vel frigidum ſit, certi ſumus colligi poſſe neutiquam, niſi vltro ex ſapore, vel tactilibus qualitatibus coniectu-

tam longe meliorem aliam aliquando fecerimus. Interea ſaltem ex odore ſat ſit plurimam diſtantiam pſeudoligni à ligno verò neceſſario colligi, quando noſtrum euidenter gratum odorem per ſe ſpiret, illud verò nullum ferè, perindeque noſtrum præter effigiem, ſubſtantiam etiam habere temperamento præditam valde diuerſam, quod non paruum, ſed maximum eſt naturæ, vel formæ, ac demum ſpeciei differentiæ argumentum.

Accedat modo ſapor, ex quo, vt dictum eſt, euidenter quod querimus indicatur. En ligni noſtri veri ſapor deguſtanti ſtatim ſapidè amarus eſt, deinceps verò ſubacredine quadam, quæ amaritudinis eſt propria, palatum, & fauces compungit, nec ingratus eſt ille cuiquam, ſed mauis cuiq; deguſtanti iocundus, ita vt ſemel ipſe deguſtatus nunquam interagnoſcendum lignum errare aliquem ſinat. Atq; quod non accidenter, ſed per ſe talis ligno noſtro ſapor inſit, non ſolum attrita, leuigataq; eius docet ſubſtantia, ſed pluries elixata adhuc, vt quilibet ex ſe poteſt ad libitum experiri. Pſeudoligni autem ſapor (dum ille guſtu integro, nec corrupto, vel ſupino ſentiatur) velint nolint aduerſarij, primo quoq; guſtu (quomodolibet deguſtetur) aut nullus, ſeu inſipidus eſt, & quaſi lentore linguam, & palatum obliniens, verum paulo poſt acerrimus eſt, & ad inſtar piperis acutiſſimi, os, linguam, fauces, & palatum ferit, pūgit, & moleſtiſsimè ſoluit, quin imo (quod notatu di-

gnum eſt) eouſq; mordicat, vt puluis illius ſternutamenta moueat;& equidem hęc adeo ſibi cenſenda ſunt propria, quod dum magis, ac magis vltro conficiatur lignum, ſemper ea augentur potius quam diminuantur, vt quilibet ex ſe facile cognoſcet. Itaq; hęc cum ita ſint, amaritudo verò caliditatem arguat,eamq; gradu tertio terminatam, vt demonſtratum eſt; iure lignum noſtrum verum tertio calidorum gradu collocari neceſſe eſt, attamen ex quo amaritudo, quæ lenis ſolum, circa tertij gradus principium duntaxat calorem eſſe arguit, quæ autem media medium tenet, & demum cum maxima fuerit, finem ipſius gradus vltimum omnino attingit; Noſtri idcirco ligni amaritudo quæ placida, & ſapida eſt, nec vtiq; extrema, vel magna, merito circa tertij calidorum gradus principium lignum noſtrum collocandum oſtendit. Atqui quantum ad ſiccitatem pertinet,ob ſubacredinem modice palatum, & fauces mordicantem, illud paulo ſupra tertij ſiccorum gradus initium ſedem habere opinandum eſt, poſteaquam ſcilicet amara calida minus quam ſicca Gal. 4. ſimp. facul. cap. 19. & 20. iure cenſenda ſunt.

Pſeudolignum vero quoniam citra amaritudinem acre tantummodo eſt, & valenter mordicans, eius ideo fautores, illud, ipſa veritate coacti, in quarto gradu calidum eſſe fateantur neceſſe eſt. Etenim vt acris ſapor, ab extremo calore fit, vt dictum fuit, ita quæ cum ſint calida verè, & per ſe acria, quale hoc pſeudolignum

eſt,

eſt, in gradu quarto calida eſtimanda ſunt. Neq; autem eſt quod illud ſubacre ſolum dicant aduerſarij, quod ſcilicet acredine amaritudini congrua, non autem ſimpliciter, præditum ſit, ex quo nempe illud nuſquam vt dulce deguſtanti ſuaue eſt, atq; iocundum oblectans, ſed mauis contra ita dulci ex aduerſo opponatur, vt guſtum ipſum omnino perturbet, veluti ſine dubio pſeudoligni huius ſapor eſt, qui cuilibet deguſtanti non parum ingratus eſt; Etenim nos hic non amarum, qui directe per guſtum opponitur dulci, ipſi pſeudoligno denegamus, quando certi ſimus illud eſſe guſtui ingratiſſimum, ſed cum de amaro hic intendamus, qui proprie amarus eſt, quippe qui originē ducat a calore cum ſiccitate longè mediocritatem excedenti, vt explicabamus, qui inquam amarus, exemplo eorum, ſed proportione habita, quæ verè, & ſummè amara ſunt, vt puta ſunt Aloes, & Colocintis, in noſtro ligno vero repræſentatur, qualem neutiquam in pſeuuoligno ſuo audebunt aduerſarij ſenſu ſano confiteri, & quidem ſi ſublato cortice ſola eius ſubſtantia quomodolibet deguſtetur, quia omnium ferè arborum cortex cum ſole nimis cōfectus ſit, idcirco amarus eſt; verè equidem dicent acerrimum illud primo guſtu ſentiri, demum autem ingratū, & iniocundum penitus eſſe, quę ingratitudo quandam veluti amaritudinis ſpeciem præſefert, at non verè amarum; id porrò acris ſaporis ſimpliciter proprium eſt; niſi forte in re aliquando ætherogenea ille conſiſtat, vt ele-

gantcr

ganter docet Gal. lib. 4. ſimp. facul. cap. 18. vbi ad-huc videtur oſtendere, quod in verè amaro dum creſcit acrimonia, creſcit etiam illi reſpondens amaritudo, & meritò cum eadem vtriuſq; principia ſint, adeo quod ſi pſeudolignum amarum eſſet, cum ſit valdè acre, neceſſario reſponderet acrimoniæ amaritudo, contrarium tamen in eo quilibet ſani ſenſus ſemper iudicabit, vt certè cõmuni conſenſu cum Doctoribus medicis, diligẽtes pharmacopolę in dignoſcendis medicamentis exercitatiſſimi non ſemel iudicarunt, in eam potius deuenientes ſententiam, vt cum Ebeno nigro per ſaporem hoc illud pſeudolignum cõueniret, quando vtriuſq; nis decoctũ, huius videlicet pſeudoligni, atq; Ebeni indifferenter deguſtantes, non licuerit ipſis vllã ſentire diuerſitatem, At poſt colorem, & oſſeam conſiſtentiam cum alijs multis, quæ Antonius Gallus enumerat, ſapore potiſsimum differt Ebenus a ligno Sancto, Guaiacan vè; *Sicut enim* (vt eiuſdem Galli aduerſariorum ducis inuicti expreſſis verbis vtar) *Indici ligni color ab Ebeno diſsidet, ita etiam illi cum hoc in guſtu non conuenit, quo ego cauſæ meæ firmamento vti decreui, nec enim adhuc depræhenſum, nec a quoquam, quod ſciam, litteris proditum, lignum hoc Sanctũ acri, ac mordaci ſapore eſſe, ſed in guſtu cum aliqua adſtrictione amareſcere, certo cognoſcimus experimento.*

Pſeudolignum verò acerrimum eſt, & nullo prędituṃ amarore, vt dictum eſt, ergo pſeudolignum hoc calidiſsimum cenſendum eſt, & in quarto ca-

lidorum

lidorum gradu collocandum; etſi non propterea ſic calidum fateamur, vt in fine quarti gradus adamuſsim collocemus, quia re vera effectus tante caliditati pares neutiquam faciat; ſed bene cum piperi comparetur, inter principium ſaltem, & medium quarti gradus calidorum reponendum eſt. Quantum ad ſiccitatem ſpectat licet ex acribus ſæpe multa ſint habmndanti humore referta, vt teſtatur Gal. lib.4. ſimp.facul. cap.19. qua etiam ratione pſeudolignum hoc extraneo multo habundat humore, (quatenus adhuc tamen recens eſt) ſubſtantifico attamen ſcatet minori, quam noſtrum lignum verum; Docet hoc eius ſpectabilis ariditas, docet inſuper elixatio magis alba minus craſſa, & demum oleum, quod deducitur lõge minus, veluti nos cum peritis pharmacopolis non ſemel experti ſumus. Sed vt non ſummè acre, ita nec ſummè ſiccum eſſe fatemur, parum tamen caliditas a ſiccitate diſtabit. & de ligni vtriuſq; ſapore atenus ſatis; Iam veniant in medium tactiles qualitates, vnde veriſſimus vtriuſuis temperamenti gradus euidentiſſimè patet; at in ligno noſtro primum eas examinemus; Adſit ergo lignũ noſtrum verum, illudq; quoad melius fieri poſſit ad agendum diſpoſitum, infuſione puta, elixatione vè, qua promptius, validiuſq; ſe ſe communicet, dum corpori noſtro intus, aut extra ſufficiẽter adhibeatur; profectò quocunq; modo oportunè adminiſtretur, quilibet facilè proprio experimento intelliget ipſum non ex accidenti, ſed per ſe, ſuaq; natura ca-

ra calefaciendi vi præditum eſſe, cæterum effectus vix caliditatis, & ſiccitatis gradus ſecundi, ad principium tertij parere; Quandoquidem ſi extrinſecus vlcerate parti, vt moris eſt, non dicam decocti ſpumam, excrementum vè aliud, ſed decoctum ipſum linteolis ſubminiſtretur, ſentiet vtique eger ferè ſemper caliditatem manifeſtam, cum alterationis principio, citra noxam tamen, & id propriũ eſt caloris gradũ tertium attingentis, Inſuper inde ſiccitatem etiam euidentem animaduertet; At ſi intrinſecus aſſumatur, certè dũ inſitus ſopitus calor egrotantis, vel ſepultus, vel marcore diſſipatus videatur (niſi iã penè extinctus, vt excitari nullo poſſit auxilio) ipſum palam excitat, vegetumq; ad miraculum reddit, & ex communi omnium conſenſu aduerſus ſymptomata omnia validũ facit euidenter; quod quoniam & quotidiana experientia verum, & iam pridem in multis ſine fuco expertũ doctiſsimi viri teſtantur, propterea ne hic nimius videar, ſat erit indicare, cum inquam hæc none ſolo manifeſto calore fieri quæãt, ſed vltro a quo frigidum ipſi inimicũ alterando ſuperetur, & euincatur, propterea non ſecundo gradu tantum lignũ hoc noſtrum calidum extimandum eſt, ſed adhuc principium ſaltem tertij attigiſſe confiteri operæ prætium eſt. Verum quantum ad ſiccitatem pertinet, non dubitandum quin per accidens valenter admodum exiccet, ex quo nempè ſuis viribus attenuet, detergatq; humores quoſuis attigerit, eoſq; demum per ſeceſſum ſæpe, ſæpius per ſudores, &

vrinas

vrinas foras abundè expellat, etſi per ſe ſufficienter (in amaris enim ſemper ſiccitas calorem ſuperat) ſiccare credi par ſit, poſteaquam & ſiccitatem ineſſe manifeſtam non paucis coniecturis certi ſumus, ea licet per copioſam pinguetudinẽ, qua illud præditum eſt, non parum reprimatur. Contra pſeudolignum præſto ſit, in eoq; ſanis ſenſibus, ſi liceat, nec vllis deceptis præſtigio, caliditatẽ, & ſiccitatem ab effectis perpendamus, profectò caliditatem, ex effectis calidiſsimis potentiſsimam illi ineſſe fateri opus eſt; Imprimis etenim illud adhuc nihil immutatum, ſed tota ſui ſubſtantia ſolũ in puluerem redactum, ſi naribus admoueas, mox ſternutamenta irritabis; præſtant autem hæc tantummodo acria, vt tum vſus quotidianus oſtẽdit, tum demũ ipſe Gal. lib. 2. de med. ſec. loca, & alibi ſæpius, cum omnibus ferè medicis, re vera confirmat; ſed acria calida ſunt in quarto, vt dicebamus. Adhæc ſi elixetur, vel decoquatur, vt ad communicandum ſe ſe, perindeq; agendum melius valeat, vtiq; ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus adminiſtretur, non diſſimiles agit effectus; porrò extrinſecus, obſeruatum eſt huiuſcemodi elixati ligni decoctum quibusdam circa caput, circa fauces, & alibi partium corporis, vulceratis adhibitum, quibus cum aliàs, cæteris paribus, ex decocto elixati ligni ſancti veri, per mediocrem tum caliditatem, tum ſiccitatem, plurimum vtilitatis, ſine triſti ſenſatione, euenire conſueuiſſet, veluti accurate etiã obſeruabat ipſe Fernelius, iam verò pſeudoligni deco-

decoctione deceptos noxam non leuem miſerandis cruciatibus ſuſtinuiſſe, & quidem ob inflammationem, doloremq; valdè moleſtum, cum acri quodam, intollerabiliq; incendio, quod paulo poſt huius pſeudoligni vſum ſuccedit, cui neceſſario opportunis refrigerantibus occurrendum eſt; Et circa externum huius pſeodoligni vſum hęc veriſſima, non temerè, ſed prudenter pluries a me ipſo partim, & a viris doctis alijs partim obſeruata fuere; quæ ne eximium caloris exceſſum ad quartum gradũ vſq; oſtendãt, vel cuiq; ſanæ mentis ex præmiſſis conſpicuũ eſt. Sed ad vſum internum, iã veniamus, aliquos enim vidimus nos, & alios etiã a doctis fide dignis ſine fuco narratos audiuimus; quibus ab aſſũpto huius pſeudoligni decocto, præter cõmunẽ opinionẽ, peſsimè cõtigerit, nẽpe poſt ventriculi triſtem, miſerandamq; afflictionem, qua mox paſtum pręter omnem modum auerſatur, & refugit (id certè non facit lignum Sanctum verum, cum potius roboret, & aſtringenti quaſi vi quadã firmitudinem addat, vt etiam Fallopius cõfitetur) adhuc quod notatu dignum eſt, illis os, lingua, fauces, & oſophagum inflammatũ, excoriatum, demumq; exulceratum euaſerat, vt meritò quaſi & medicamento, & medico, ob acerbi doloris impacientiam maledixiſſent, niſi tantorum corrigendorum ſymptomatum occaſione medicum, & medicamen oportunum quærendum rurſum ſibi perſuaſiſſent. Quare quid vſquam euidentius haberi ex pſeudoligno poteſt, quod illius ſummum

arguat

arguat acris caliditatis exceſſum? Etenim dolorē per inflammationem excitare, ledereq; quarti caloris exceſſus eſt inditium, atqui excoriare, exulcerare, atq; corrumperé, vnum, illudq; potiſſimum eſt veritatis argumentum, Gal. de ſimp. facul. lib. 4. cap. 18. & 19. certum igitur eſt pſeudolignum hoc eſſe inter quarti ordinis calida reponēdum. Quod ſi non ſemper omnibus tantum attulerit detrimenti, hoc certè ex eo contigiſſe credendum, quod vel illis pauca quantitate pręſcriptum, multa autem dilutum, obrutumq; aqua, vel ęgrotantibus ſaltem adminiſtratū, qui plurimis ex cauſis ad eouſq; patiendum inepti aliquando ſint. Sed illud potius eueniſſe cenſendum eſt, quod licet quartum caliditatis exceſſum attingat, non vltimo tamen illius termino continetur, cum potius intra principium, & mediū dūtaxat exiſtat, quamobrē non omnibus tam ſeuum ſemper eſt, ſed aliquibus ſolum; Adde quod re vera non omnia quarto caliditatis gradu donata vrunt ſemper, excoriant vè, aut corrūpunt, exemplo ſinapis, & cauterij, quæ ex quarto ordine calidorum ſunt, quorum inquā vnum ſemper corrumpit, nempè cauterium, alterum verò ſcilicet ſinapis minime, Gal. lib. 6. ſimp. facul. cap. vltimo. Quantum ad ſiccitatem obtingit non dubitandum quin calori ſiccitas abundè reſpondeat, vt ſupra indicatum eſt; Accedunt effectus; Quiddam enim pręcæteris lue venerea captus, doloribuſq; internodiorum peſſimè afflictus, licet in ſudatorijs paſſim Romæ venalibus, quæ aduerſarij tantopere

laudant, per multos curatus dies, ſibi ſubminiſtrato pſeudoligni decocto, modo quo forſan quorundã Medicorum conſilio Sudatoriorũ eorum gubernatores facere conſueſcunt, tandẽ quidẽ inde melioribus, & prudentioribus monitis aufugiens domũ reuerſus, ſed exiccatus, & omniquaq; conſumptus, attamen nequaquam a doloribus liber factus erat, exiccat ergo illud valentiſſimè, minimè verò morbi Gallici virus propriè cum noſtro ligno Sancto vero iugulat. vt dicemus poſtea.

Itaq; omnibus his ſic ſe habentibus, poſt tot tantaq; de vtroq; ligno præmiſſa, euidenterq; demonſtrata, & inuicem comparata, garientibus etſi, crepantibuſq; aduerſarijs, liceat iã deducere id, quod noſtræ orationis exordio deducendum proponebamus, & porrò ex arte, nempè pſeudolignum a noſtro ligno Sancto verò, non maiori, aut minori præſtantia ſolum diſtare, ſed vltro differre ſpecie, atq; natura, perindeq; aliud prorſus lignum eſſe; vt equidem eſſe nobis vnà cum peritioribus Vrbis Medicis ſemper ſumus perſuaſi; Etenim vt paucis multa complectar, poſteaquam lignum Sanctum verum vnius ſpeciei, non pluriũ eſt; quod ex Americanis veriſſimis obſeruatis hiſtorijs demonſtratum eſt. Veriſſimumq; præterea eſt ab hoc ipſo ligno Sancto verò, pſeudolignum nouum temperamento proprio longè differre. Quippe neutiquam ambo eodem gradu contineantur, vt vtriſq; ideo per eiuſdem gradus latitudinem, a principio videlicet per medium in finem vſq; ſpatiari, citra corruptio-

ruptionem liceat, vt perinde inquam maiori ſolum bonitate, vel præſtantia inuicem differant, quatenus magis, minus vè accedunt, vel recedunt a ſimetro illo; quod proprium eſt, temperamento; Sed differat vnum ab alio, tum gradibus varijs, tum graduum diuerſa miſcella, quod profectò ſpecifieè diuerſum omnino facit temperamentum, vt demonſtratum eſt. Idcirco neceſſe eſt, hæc duo ligna inuicem differre forma, natura, & ſpecie, quoniam vniuſcuiuſque ſpecificę formæ differentiam, determinatum, & certum ſequatur ſimilare, vel diſſimilare temperamentum, vt vltra, vel citra (cum naturalia omnia certum habeant magnitudinis terminum) ſtare nulla ratione poſsit.

*

CAPVT IX.

Soluitur aduerſariorum obiectio, qua vel ob vnam ſoli natiui differentiã, & ligni iam pridem cæſi ætatem, omnem poſsibilem diuerſitatem ſeruare contendunt.

SED vtcunque, qui pſeudolignũ hoc verum ſanctum lignum eſſe, imo eo ipſo præſtantius eſſe contendunt, adhuc mordicus volunt à nobis hucuſq; meditata omnia, tum gratis dicta, ſeu mauis ficta fuiſſe, & me hercule quibuſdam falſis, vaniſque ſeducti, ſiue decepti coniecturis, quibus quaſi a calumnijs pſeudolignum ſuum vindicantes, nos plenè deuictos, ſuperatoſq; pænitus eſſe audacisſime gariunt. Et primum ex natiua pſeudoligni terra, & eiuſdem cæſi pſeudoligni ætate, potiſsimã oriri, ne dixerim effigiei tantummodo differentiam, ſed odoris, ſaporis, tactiliumq; qualitatum omnium, volunt; adeo quod potius ligni Sancti nomen ſuo pſeudoligno congruat, noſtro tamen vero, qua ratione ſolum magis minuſq; illi ſimile eſt. Verumtamen quidquid ipſi crediderint, apertè nihilominus conſtat

id vel nullũ, vel parum ſaltẽ ad pſeudoligni huius veritatem, & bonitatem comprobandam prodeſſe poſſe. Etenim quod ad natalis terræ diuerſitatem ſpectat, cum nullus vnquã dubitauerit, quin inter terram,& terram propagandis arboribus plurimũ interſit; poſteaquam id quotidie nos in multis experiamur, & accuratè admodum Theophr. lib. 2. de cauſis plantarum cap. 6. doceat ad plantarum propagationem ſumenda ſemina eſſe, item ramos, ſeu ſtolones,& huiuſmodi ex terra,& ſitu, qui ſit ei, in quem transferuntur,vel ſimilis, vt non fiat vlla mutatio, vel deterior, quoniam hoc pacto mutationem fieri in melius neceſſe eſt, quia ſi melior nõ niſi in deterius permutatio fiet; adeo quod omnẽ horum lignorum diuerſitatem, citra mutationem ſpeciei, in vnum natale ſolũ deducendam ſibi perſuaderi poſſe videantur. Verum libenter nos ex natali ſolo multam plantis euenire poſſe differentiam aduerſarijs concedamus; quin imo etiam vltro, ſi Theophraſto credere dignum eſt, qui lib. 2. de hiſt. plant. cap. 4. & 5. plantas aliquando, vel vno natali ſolo mutato, ſpeciem propriam non ſemel immutaſſe ſcribit, ipſi nobiſcum admittãt naturam, ſeu formam ex hac ipſa ſoli mutatione in ſuo pſeudoligno omnino mutatã. Sed ne nos portentis,& monſtris aduerſariorum obiecta diluere vele putent aliqui,iam cum Theophr. lib.de cauſis plant. vna cum Iulio Cæſare Scalig. a quo non diſtat Ruelius, dicamus natale ſolum, terram ℣è variam,variamq; culturam eius aliquot quidem mu-

tare accidentia, intra tamen proprij temperamenti latitudinem; mutatio quippe maxima in accidentibus quibuſdam communibus ſępe contingat, non in proprijs internum ſpeciei temperamentum indicantibus, quoniā proprij temperamenti magna mutatio ad interitum, vel ſaltem morbum perducat. Neq; faciant difficultatem fructus, qui paſſim ex vna plantarum cultura, vel traſplantatione magnam ſubeunt mutationem, quoniam vt alias dicebamus, ſunt fructus plantarū partus, ſeu quaſi excrementa, quæ vt manifeſtum eſt, ex ipſo ſaltem externo ambienti ſolis radijs affecto multifariam immutantur, quanto melius ex interno ſibi ex terra ſuppeditato pabulo? Docet hoc Agricultura, quæ artificiosè quamplura molitur. Dices ita mutari etiam plantas, vt mutantur fructus, quod ex eo iure conſiſtat planta, ex quo illa nutritur; Sed nutriri plantam ex quocunq; ſibi oblato pabulo falſum eſt; ex ſimbolo quidem, ac ſimili inſtauratur, ac viget, atqui disſimbolum reijcit, tanquam excrementum. Quod ſi temporis progreſſu ipſa quoq; planta ex alienæ qualitatis præſentia citra morbum afficiatur; hoc ſolum eſt intra proprij temperamenti latitudinem; vt apertè docet Theoph. de cauſis plant. lib. 2. cap. 22. & ibi Scaliger abundè; Quod ſi alibi aliquas plantas paulatim, ſenſimq; Theph. dixerit alterari, & a ſua natura diſcedere, demum tamen loco citato, tales illas ex accidentium quorundam mutatione videri ſolum, ſeu aparere voluit, cum cultus, & translatio quam-

quamquã multiplex naturã nihilominus retineat, & ſeruet, omnibus tantummodo ex agreſti quodãmodo in vrbanam cõditionem mutatis, vel cõtra. Argumento ſumpto, quod plantarum præcipua ferè cuncta ſemper citra omnem corruptionem ſtẽt. Atq; ita verum eſt ex terræ mutatione plantas omnes ſimiles adhuc conſeruari, vel non mutata ſpecie in deterius ſolum, ex vrbanis puta in agreſtes permutari, aut contra meliores, prę̃ſtãtioreſq; reddi. Quod quia veriſſimum eſt, ideo cum aduerſarij omnimodam ſui pſeudoligni cum ligno Sancto verò ſimilitudinem minime valeant, renitente ſenſu, alijs cum ratione perſuadere, reſtat vt vel pſeudolignum ſuum omnino deterius, vel fortè pręſtantius ligno noſtro Sancto vero confiteantur; Deterius eſſe vtiq; negant, quin imo veriſſimum lignũ Sanctum eſſe audacter coutendunt; Sed poſito aliquos eſſe, qui ſaniori iuditio præditi hoc illud admittant, aſſerant nihilominus mordicus lignum verum Sanctũ eſſe, & intra veram ligni Sancti ſpeciem velimus nolimus contineri, atq; ſi acrius, ſi alterius conſiſtentiæ, vel coloris, effigieiq; ſit, hoc eſſe quoniam ſilueſtre, ſilueſtria enim omnia ab vrbanis hac ratione differant. Vtcumq; dixerint impoſſibile eſt ſpeudolignum ſuum intra ſpeciem ligni Sancti veri eſſe collocandum. Etenim ſi verum eſt, vt veriſſimum eſt, quod propria ſui pſeudoligni omnia diuerſum prorſus, vt demonſtratum eſt, ab illo ligni noſtri Sancti temperamentum arguãt, neceſſe eſt inde naturam, non ſilueſtrem, ſed ſpecie

pænitus diuerſam confiteri,quid ergo eſt quod aduerſarij ad ſilueſtrem conditionem, vt veritatem ſui pſeudoligni tueantur, confugiant? Sed ſi fortè pſeudolignum ſuum noſtro ligno Sancto verò præſtantius eſſe omnibus animo prædicent obſtinato,vnde nam quæſo hanc ſuam colligunt præſtantiam? an ex meliori potentioriq; aduerſus luē veneream inſita facultate? an ex manifeſtis ſaltem tum primis,tum ſecundis proprijs qualitatibus nobilioribus, quibus ad proprium obeundum munus illud valentius ſit noſtro? Verū quod nihil horum ad veritatem faciat, adeo quod nihil pęnitus ex ſoli natalis ſubterfugio ipſis reſtet, vnde ſui pſeudoligni veritatem acrius tueantur,& probent, mox ex eorundem experimentorum vanitate, & incertitudine, imo ex pernitioſis effectis obſeruatis apertè demonſtrabimus. Verum poſtea ſi ligni ſui proponant ætatem, aut de ea eiuſdem ligni ætate loquuntur, qua illud recentius, vetuſtius vè è planta cæſum exiſtimatur, vnde merito ſuum acrius, calidiuſq;, atq; potentius, quia recentius,noſtrum autem contra, quia antiquius. Sed nouum hoc eorū ſubterfugium nullum eſt,niſi fortè lignum noſtrum ſeculo pręterito ſemper delatū vetuſtius, noſtriſq; temporibus ſolum ſuum eſſe recentiſſimum, quale ideo nullus hucuſq; nouiſſe potuerit, quod mirabile eſt. Atqui fortaſſe illud tale, quale modo habent ipſi,melioribus aliquando viſum Medicis, & præſertim Matthiolo contendent,qui in epiſt. de re medica conſcriptis verum lignum piperea prædi-

tum

tum acrimonia prædicat, qua veluti per incendiũ, os, fauces, & gutur afficiuntur, cui poſtmodum bonus Borgarutius cum Deſenino quodam Colonienſi Matthiolum ſemper admiratus, pipeream audiens acrimoniam addit ſternutamenta mouere, qualia palam pſeudolignum nouum mouet. Verumtamen, vt gratis Borgarutius tribuit ligno vero, quod a nullo ante ipſum integro ferè ſeculo fuit obſeruatum, ita ſi aduerſarij Matthiolum de ligni Sancti vſu diſputantem aduerſus quemuis indifferenter illud adminiſtrantem in tẽperamento bilioſo animaduertent; equidem eouſque ſolum de mente illius excellere ligni veri acrimoniam intelligent, quouſq; etiam nos lignũ verũ calidum eſſe in ſuperioribus demonſtrabamus, nẽpè circa principium gradus tertij, id porrò ibidem non ſemel exprimit, additq; amarorem ineſſe multum, quem in pſeudoligno non obſeruamus, niſi vt dictum eſt; quare hanc ſuam quamuis pipeream acrimoniam, ad noſtram veri ligni, non ad illam pſeudoligni referre cenſendum eſt; ideoque etiam colligendum Matthiolum recentius aliud non agnouiſſe lignũ a noſtro communi vero, quod hactenus deſcriptum eſt. Inſuper aut ætatem eam ligni intendunt, qua illud in planta magis, vel minus adoleuerit, conſenuerit vè. Atqui ex ſuppoſitis, nulli dubium quin verum ſit fruſta ligni Romam delata, vel ex vno eorum aſpectu, non ramorum tantum, ſed & trunci fruſta videri, quamquam in præcipuis omnibus cuncta conueniunt,

& ſa-

& ſanè merito, quia vnde fit, vt ramus licet adoleſcens, & quaſi floreſcens, nec dum ætate debilitatus, tam valde a ſenioris trunci conditione differat? Diſtabit quidem magis minus vè, at non omnimode variam patietur differentiam; At pſeudolignum nouum, non magis minus vè ſolum, ſed valde longè diſtat a noſtro Sancto vero, eoq; ſine dubio longius, quo demum illud vltra omnem temperiei ligni veri noſtri latitudinem conſtitutum eſſe conſtet, perindeq; natura omnino diuerſum. Idipſum ergo lignum aduerſariorum non ætatis occaſione, vt perperam fingunt, ſed quia alterius prorſus naturæ ſit, tale cenſendum.

* * *

Repro-

CAPVT X.

Reprobantur vltimo eorundem aduerſariorum experimenta, quibus coguntur ſui pſeudoligni ſancti comprobare bonitatem, & contra ex arte multa alia facta experimenta in medium adducuntur, quæ rationi conſona cum fuerint, euidenter ligni eiuſdem noui falſitatem oſtendunt.

CAETERVM vltimo omnia hucuſq; hinc inde probata irridebunt aduerſarij, quippe omnem aboleri, obliterariq; difficultatẽ putent, ex effectis in multis accurate, & iam pridem ſæpiſſime obſeruatis, qui proprio, & vero ligno Sancto adamuſſim conueniunt, quoſq; per experimentum non ſemel, ſed ſępius accuratiſſimè ſuo iuramento vidiſſe teſtantur; nempè hoc ſuo pſeudoligno quã plurimos malis innumeris peſſimè afflictos, & lue venerea pręſertim laborantes ad miraculum citiſſimè, & optimè liberatos, quin imo ſanitati meliori

lilos

illos reſtitutos; adeo quod vel hoc ipſiſſimo ſui pſeudoligni effectu, velimus nolimus nos ſuperatos, deuictóſq; putent, perindeq; etiam idem ſuum pſeudolignum vero ligno Sancto verius eſſe confiteri coactos palam omnibus, & vbiq; prædicent. Sed quæſo hiſce conceſſis experimentis, licebit ne illis deducere pſeudolignum ſuum eſſe lignum Sanctum neceſſario? ſanè ſi liceret, cum Sarzaperilla, & Cinæ radix apud nos, lignum verò Ettalche in Aphrica, vel Hiuourahe in Braſilia, lue venerea afflictos aptè perſanent, neceſſario eadē horũ erit natura, & ſpeties cũ ligno Sancto, quod vel cæcis falſum eſſe conſpicuũ eſt. Non ergo ex quo hi fortaſſe aliquos per ſui pſeudoligni vsũ a gallicis affectionibus perſanatos aliquando viderint, iã ratum, firmumq; eſſe iure opinabuntur illud verum Sanctum lignum eſſe, quod nos improbamus.

Verum adhuc nec ita gratis ſua illis concedamus experimenta, cum certi ſimus illos noſtras nunquam conceſſuros obſeruationes, quod vtique experimentatores, vt pote Empiricam profitentes non niſi cautè, & callidè audiendi ſint, hoc eſt illis pridem duntaxat examinatis conditionibus, quibus experimenti cuiuſuis veritas eluceſcit; quibus inquam homini ægrotanti propoſitum medicamētum quoduis tale imprimis eſſe pateat, quale pellendo malo æque ſatisfaciat, quod puta propria, non aliena, & adſcititia qualitate agat, a principio ſcilicet ad finem vſq;, eademq; ratione ſemper, veluti agentium per ſe proprium eſt, & in

mor-

morbum certè ſimplicem, cui primum aduerſetur, at in contrarium etiam aliquando ex accidenti, Gal. lib. 3. de temp. cap. 5. & lib. ſimp. facul. 4. c. 7. & lib. 1. cap. 2. 3. & 5. Adhęc quibus idipſum tantum fuiſſe creditum ſit, quantum ſupra morbum aptè valere poſſit, quantum porrò vincendo, ſuperandoq; illo, citra ægri noxam, belle ſufficiat. Gal. lib. de temp. 3. cap. 5. Et vltimo quibus ita opportuna temporis occaſione illud adminiſtratum fuiſſe pluries ſit obſeruatum, vt propriarum virium tuta, iocundaq; operatio, vt plurimum euidenter ſequuta fuerit. Gal. eodem de tempe. loco, & lib. 1. ſimp. facul. cap. 3. Vel hiſce enim præſentibus conditionibus, verum, & tutum medicamenti cuiuſuis experimentum eſſe credibile eſt, poſteaquam tot, nec pauciora ad integrum, & ex arte celebrandum opus, omnium ſapiētum conſenſu, neceſſario deſiderantur. Itaq; quoniam vt nos iam pridem noſtras narrauimus obſeruationes, quibus pernitiem, & vanitatem pſeudoligni cogimur demonſtrare, ita ipſi ſua afferunt experimēta, quibus bonitatem, & veritatem eiuſdem probare nituntur; Iure vter noſtrum rationi magis conſona dixerit, opere prætium eſt ex ſuppoſitis conditionibus examinare; Examen poſtea perpendant docti, qui non nobis tamen ſolis, aut illis, ſed veritati tantummodo fauere intenderint. Sed quid moror? quid tento? quos experimentum feciſſe contendunt aduerſarij, fuere viliſſimi balneatores, qui vix nomen proprium proferre, ne dixerim ſcribere, aut

legere

legere norunt; ò vanitas ridicula, ita ne huiuſcemodi hominum experimentis ſtabunt docti? ex hiſq; tanquam ex ſenſatis veris, & proprijs de rebus tutò licebit philoſophari? ſiccine demum aduerſarij in medicinam nos volunt inſanire? non ne hoc eſt diuina munere poluere, ac impiare? fateor ex viliſſimo quoq; Agricola, ex ridicula Vetula, ex Beſtijs tandem ipſis, experimenta non pauca ortũ habuiſſe, verum enim verò accedente ratione ea ſapientes comprobarunt, aut certa illorum ſaltem agnita ſimpathia, vel antipathia nullatenus reſpuerunt. Quare fortaſſe dicent aduerſarij hos miniſtros fuiſſe ſolum, peritorum autem Philoſophorum, & Medicorum conſilio omnia fuiſſe adminiſtrata, expertaq;; Sed vtinam ita foret, attamen poſteaquam miſeri ægrotantes redditur æ ſanitatis ſpe doloſè decepti, tandem ferè ſemper ex tali adhibito ſibi ligno, percunctãtibus veritatis amatoribus, peſſimè ſe habuerint, non relinquitur aduerſarijs excuſationis vllum ſubterfugium. Vtcunque tamen ſit, donemus aliquos ex huius pſeudoligni vſu a multis prætenſis gallicis ſimptomatibus liberatos, cæterum inſimul videamus ne hoc ipſis caſu potius, quam ratione factum experiri cõtigerit, an mauis a nobis ob non ſeruata artis præcepta contrarium obſeruatum fuiſſe, vt in ſuperioribus enarrabamus; Atqui vt nobis hoc plenè ſuccedat, præmittendum eſt quid morbus gallicus ſit, qualiaque ipſum merito ſequantur ſimptomata, & ſuppoſitis cauſis, qua demum ra-

tione ſit inſtituenda curatio.

Luem Gallicam dicimus morbum humani corporis à toto temperamento ſimilarē, virulento donatum contagio. Morbus equidem eſt, quoniam quandocunq; corpus humanum eo afficiatur, præter naturam ſemper viuit, nec pridē ipſum intelligi poteſt lue gallica affectum iri, quin ſimul atque ſemel tale factum videatur; Affectionem verò hāc non naturalem, vt non ſimilibus ſemper notis com pertam nobis, ita non facilè fuit primis ſuperioris ſęculi medicis ipſam intelligere, ſed in contrarias ferè omnibus ſententias abeuntibus euenit, vt de luis gallicę quidditate diuerſa ſcripſerint, & varia. Nos autem qui ipſorum quidem beneficio adiuti, altius rem tamen poſtea ſumus cōtemplati, vel ex quo nouerimus ſemper, eam (vtiq; ſimilarem primo, diſsimilarem verò ſecundo) non vnius, vel alterius determinatæ qualitatis errore ſe ſe ſpectabilem reddere, ſed indifferenter omnium primarū, ſecūdarum, & aliarum quarumvis, ſi adſint, vt manifeſtum eſt; merito eam non euidentem iudicandam eſſe cenſemus, ſed mauis occultam atque latentem, attamen referendam, ob eius virulentiam, ac prauos, inordinatosq; mores, in totum ipſum vniuerſi corporis temperamentū, quod ſanè quandocumque ſit læſum, ita ſibi olim bene ſe habenti diſſimile eſt, vt quaſi venenum illi diſſimile eſt, veluti contra bene ſe habenti, ferè vt alimentum ſimile eſt; atque ita dum diſſimile, cū ſanitati prorſus inimicum perpetuo, ideo pro qualibet leui occaſione

caſione multifariam ſe læſum oſtendit, & quamquam non pernitie tanta, quanta venenum verum, tanta nihilominus, quanta ſat ſit contagio; hoc eſt licet necem repentim cum veneno inferre non valeat, valeat ſaltem ſeſe promptè per contactum vaporibus alteri communicare.

Ex his autem Medico prudenti, & docto mirari nequaquam licet, cur gallicã luem virulento duntaxat contractam contagio, tam multa, tam varia, tam demũ praua, atque pertinacia ſequantur mala, quæ tum morbi, tum ſimptomatis, vel horum cauſæ rationem habent manifeſtam, poſteaquam tunc corporis temperamentum non caloris, frigoriſvè, aut alterius ſolum determinatæ qualitatis exceſſu, vt dictum eſt, à recto deuium eſt, ſed quod totius ſui ipſius proprium armonicum concentum amiſit, vnde vel quauis etiam leui ægrotantis habilitate, omnem ſimilarem affectionem primũ repreſentare aptum eſt, verum ſecundo etiam diſſimilarem, quatenus ex ſimilari coctionis opus deprauatur (argumentum facit hepar, quod imprimis læſum apparet, vt lęditur etiam cerebrum, in quo notabiles fiunt coctiones) fitq; ideo paſſim crudorum humorum congeries, ex qua diſſimilaris affectio ducit originem. Praua præterea, pertinax, ac mali moris tunc eſt omnis affectio, tum quia ex cauſa venenatam ſapienti naturam directè quaſi vitæ noſtræ inſidiantem oriatur, & ideo praua, tum quia non ita facilè proprio antidoto emendetur; quinimo longius fomite vario, ac virulen-

rulento, craſſa ſcilicet, atq; tenui cachochimia, pertinaciter conſeruetur, eaq; ob inæqualitatem virus, moribus varijs, & irregularibus prædita.

His ſic ſe habentibus, fac hominem iam gallica affectum lue, vt non adhuc perſeruare tantummodo, ſed ſanare omnino ſit neceſſarium, vtiq; tunc duo in eo ſeſe offerunt procuranda, in quæ, tanquã in præcipuos ſcopos, medicũ opera, & inſtrumenta cuncta dirrigere eſt opere prętium; videlicet virium conſeruatio, & omnimoda morbi diſſipatio; interquæ cum virium ſeruatio primas teneat, ex quo a natura primum, artis deinceps auxilio, quodcunq; nobis inhærens malum depellatur, fit vt omnium primo inſtrumentum huic aſſequendo operi accommodatum (id autem victus ratio eſt) deligatur, adhibeaturq;, debita nempè tum qualitate, tum quantitate, tum demum opportunitate inſtitutum; vt verò poſtmodum malum ipſum diſſipetur, iure merito inſtrumentum proprium, quo idipſum cõſequatur a, ccuratè inquiretur, ex vſuq; erit, ſeruata ſemper qualitate, quantitate, & opportunitate. Sed cum Gallica lues hæc totius humani temperamenti diſcraſſia quędam ſit, perindeq; vitæ dirrectè aduerſa, ferè vt venenum, quæ inquã partibus quidem ſolidis corporis vniuerſi impreſſa, alioqui tamen ex contactu per malignos vapores ipſis primo occurrentibus humoribus communicata, tum ex ſe, ſuoq; impetu longius, fixa, ſtat, tũ humoribus priori loco infectis, & rurſum ex concrice facultate corrupta, eadem ab origine prædi

tis virulentia, ſeruatur, & durat; ſanè verum erit, quod in hac ipſa aboléda lue, duo a nobis neceſſario præſtanda ſint; Quorum quidem vnum eſt, ſimilarem totius temperamenti diſcraſſiam proprio contrario corrigere, & emendare; Alterum verò eſt, fomitem illius nempè virulentos congeſtos humores tollere, pænituſq; demolliri; ita enim quæuis morbi radix, cum morbo ipſo diſſipatura certò eſt. Vnde licet in morbis ex toto ortis temperamento, methodus ſanationis artificioſa ferè nulla videatur, vt bene nouit Gal. 13. Metho. c. 6. adhuc tamen hic ſaltem ea adhibenda, qua fomes mali primum, demum ipſum malum depellatur; quod ſi vtrumq; ſimul eodem inſtrumento aſſequi poſſet, optimè ſine dubio actum cenſeretur, ſin ſecus, a priori exordiendum, euacuandaq; appoſito inſtrumento cachochimia eſt, deinceps non arte, ſed certa experientia inuentum antidotum ipſi diſcraſſię contrarium adminiſtrandum. Quare quãquam interdum patet aliquos, vel ſola generoſa prauorum ſuccorum expurgatione, a contracta lue ſanari, quod nondum forſam in eis partibus ſolidis virus ſit impreſſum, vel ſaltem a non paucis ſanari ſimptomatibus, vt puta eorum ſublato fomite, nempe cachochimia, vt plurimum tamen quoniam ſumma eſt virulentis vaporis actiuitas; ideo poſt purgationem idoneam, ad antidotum experimento repertum confugiendum eſt, quod vtiq; antidotum non vnum, ſed multiplex eſſe videtur, quando Hydargirũ apud nos opportunè adhibitum

hibitum luē veneream optimè ſanet; Rurſum Sarzaperilla, poſt reliqua alijs regionibus propria, idem commode præſtet; Sed prçcæteris lignum Guaiacan, quod Sanctum vulgus appellat; Attamen, ne omnia hæc per ſe, & dirrectè, an mauis ex his, vnum per ſe, & reliqua ex accidenti agant, non auderem determinare, quia vt luis venereæ diſcraſsia adamuſſim mihi cū peritioribus ignota, & occulta eſt, ita adamuſsim illi aduerſum antidotū, & prçciſe dirrectum, vel indirrectū, nec vſu, nec ratione cognitū eſt. Quare reliquis poſtpoſitis, de ligno Guaiacan, Sanctovè ex inſtituto ſolū verba facturi, vt pſeudolignū aduerſariorū pænitus excludamus, videndū nobis eſt primū quale illud, quantum, & quam opportunè ſanitatis aſſequendæ gratia ſit ægrotanti adminiſtrandum, vt contra appareat pſeudolignum aduerſariorum nuſquam ab ægris, eadem qualitate, & quantitate ſuſtineri poſſe, quin imo neq; vnquam illud eadem poſſe opportunitate ferri. Itaq; lignum Sanctum noſtrum, quod dicunt Guaiacan, ex communi omnium conſenſu, tum lungo, veriſsimoq; apud nos, tum apud Americos experimento confirmato, nō morbo gallico ſolum propriè, & certò aduerſatur, (niſi fortè ille iam pridem fixus, habituatuſq; ſit, quoniam tunc ſanari ille nullo poteſt ingenio) ſed adhuc malis innumeris ex frigiditate, & humiditate oriundis euidentē præſtat medicinā. Cæterū, vt opus ſuum valētius peragat, per elixationē, vel decoctionē ægris adminiſtrandū eſt, quibus ſi-

lue gallica laborauerint, duo per manifeſtam experientiam prçſtat; Primum enim quia occulta proprietate familiariſsimum eſt humano temperamento, eſtq; perinde inimiciſsimum lui venereç, tanquam humani temperamenti crudeliſsimo hoſti, ita ægrotanti fauet, vt priſtinæ integritati illum omnino reſtituat. Secundo cum manifeſtis prædirum ſit qualitatibus, nempè calore, & ſiccitate proportionata, ad quam ſequitur amaritudo cum ſubacredine, vt ſubinde vim habeat attenuādi, detergendiq; cachochimiam, qua lōgius fouetur virus, lueſq; altius fixa conſeruatur, vt iam pridem aptè diſpoſita, vijſq; apertis omnibus exiſtentibus, per ſeceſſum, per vrinam, atq; ſudores, illa facilius expurgetur. Et lignum Sanctum quoniam tale eſt, tantaq; ſuis viribus præſtat, propterea præſtantiſsimum eſt gallicæ luis medicamentum, quod merito omnibus eadem afflictis lue ſanitatis aſſequēdæ gratia a Medicis prçſcribitur. Neq; credendum illis eſt, qui ſolis manifeſtis qualitatibus tale lignum ad ſalutem agere opinantur, adeo quod cuiuſuis calidi, ſicciq; ligni, inſuper & attenuanti, detergentiq; qualitate donati, decoctū, vt puta Ebeni, Buxi, Quercus, & Iuniperi, dummodo inſimul tenuiſsima uiuendi ratio adhibeatur, vt fit, luem hanc abſumere, ſanareq; poſſe cenſendum videatur; quoniam hos iam ſatis, ſuperq; conuicerit experimentum, ex quo compertum ſit euidenter, nec certam, nec tutam hanc medendi methodum eſſe, quia probatum ſit a multis doctiſq; uiris

uiris ex longa quidem inedia (exiccantium quorum vis accedente vſu) miteſcere neceſſario morbos, ſimptomata vè luis vt plurimum omnia, abſumpto ſcilicet eorum pabulo, quod cachochimia erat; luem autem ipſam neutiquam ſufficienter ſubripi, ſed eam remanere, excitaturam ſemper omnia immaniora, quare omnino præter qualitates manifeſtas, in ipſo ſimpathiam cum temperamento hominis, & antipathiam cum natura luis, ponere eſt opere pretium.

Poſt hanc autem ligni Guaiacan, Sanctivè medicam qualitatem, vt ægrotantibus ex arte, & vtiliter præſcribatur, certa eiuſdem quantitas etiam obſeruanda eſt; quippe vt non omnis quantitas ad victoriam ſat eſt, ita eiuſdem exceſſum aliquando timere debemus; Verumtamen quamuis Conſaluus in ipſis Americis degens, vbi recentiſſimum cuilibet conceſſum lignum eſt, variam illius præſcriptā fuiſſe quantitatem referat, quod vel præſtantia forſan ligni varia, vel antiquioris, deteriorisvè morbi occaſione, iure faciendum erat, attamen apud nos præſertim Europeos, vt plurimum, quamquam lignum raro recens peruenit, & morbus varius eſt, ad pellendū, extirpandumq; eum, idipſum præ alijs optimum, ſcriptores ferè omnes, vnius libræ ponderis, libris duodecim aquæ puræ, elixandum, decoquendumq; volūt, quouſque totius ponderis medietas abſumatur. Et ſi ego adhuc, poſt ligni præſtantiam, tum uirium, tum morbi rationem habendam ſummopere putem, & inde iuſtam deſumen-

dam menſuram eſſe non temerè cenſeam. Veluti adhuc etiam dum alia mala, atque ſimptho mata externa, vel interna contingant, quibus caliditate, ſiccitateq; ligni occurrendum ex arte fuerit, tum maior, tum minor ipſius ligni copia tuto per medici prudentiam adhibenda eſt. Ad hæc quantum ad miniſtrandi ligni opportunitatem ſpectat, certum eſt etiam apud Americos, teſte Conſaluo, non niſi præuia vniuerſi corporis euacuatione (hanc autem ſimplicibus non paucis aliàs ſibi procurabant Americi) illud vtiliter adminiſtrari, quinimo adhuc inter ipſum adminiſtrandum, per certa dierũ interualla, rurſum nouam purgationem propinari, quod hac ratione ſenſim cachochimia diſponatur, ſenſimq; ſummo naturæ leuamine expellatur, vt tandem malũ, totius nempe temperamenti diſcraſſia, citius atque perfectius ſuperetur. Et hac ſanè methodo intercurandam Gallicam luem inſtituenda ligni adminiſtratio eſt, quoniam ſi præter eam nouus alius morbus, nouumvè ſimptoma aliquando accedat, quod propriam curationem expoſcat, tunc fortè alia omnino habenda ratio eſt; & præſertim ſi calida, ſiccaq; intemperies alicubi partiũ vrgeat, quam ex ligni vſu, maximo egri detrimẽto, augeri poſſe ſuſpicio ſit; tunc certè ne quidquam præter rationem eueniat, vt eueniſſe ſæpiſſime lignum empiricè adminiſtrantibus certum eſt, intemperies ipſa calida, ſiccaq; nimis, immo & fomes eius, hoc eſt cachochimus ſuccus, ſi adderit, vel primum abolendus, vel in meliorem modum ille

pro-

proprijs medicamentis cum morbo redigẽdus eſt. Neque audiendi ſunt, qui cum Alphonſo Ferro lignum temperatum eſſe contendunt, ideoq; refrigerare, quoties refrigerio opus fuerit, calefacere verò tantummodo, quando caliditas deſideretur; niſi eo fortaſsè ſenſu talia dixiſſe velimus, quo putent lignum tale meritò cenſendum, cum adeò hominis temperamento ex æquo reſpondeat, faueatque; vt perindè illo per lignum ſuæ integritati reſtituto, omnia tandem mala calida, vel frigida, quempiam lue affectum Gallica conſequentia, prorſus eſſe deſinant. Etenim impoſſibile eſt rem ſua natura amaram, atque ſubacrem eſſe temperatam; poſteaquam etiam euidentiſſimos eius effectus, tum calidos, tum ſiccos ſine fallacia obſeruemus. Nec quæſo dicant, aut per maiorem, minoremvè inter elixandum conſumptionem decoctum ligni tunc pro neceſſitate calidius, ſicciusq; redditum, vt ægrotanti citra noxam ſatisfaciat, aut ſaltem inter elixandum, herbis aliquot refrigerantibus quomodolibet ipſum rectificandum, modificandumvè, vt tunc ægro vtiliter, & ex arte adminiſtretur. Quoniam etſi verum ſit, per variam elixationis conſumptionem, decoctum ipſum minus, magisvè calidũ fieri, interea attamen operæpretium eſt ipſum proportionatam, & ad abolendam, ſuperandamq; luẽ, vndè tanta, tamque miranda euenire ſimptomata, & mala dicebamus, longo apud Americanos, & Europeos experimento, obſeruatam habere agendi vim, ipſi ſcilicet ex ligno ope ignis impreſſam,

quam ſanè habet,tum ſi poſt debitam, expertamq; coctura m,ipſa aderit ligni præſtantia, quæ ex eius natiuo ſolo primum, demum ex nouitate eiuſdem prouenit,tum ſi pro morbi malitia, & antiquitate, conueniens eiuſdem ligni menſura ex vſu fuerit, quod ex ſcriptis Cõſalui,inter Americos,& ex Doctorum medicorum ſcriptis, inter Europeos videre licet; aliàs aut nulla talis deſiderata virtus imprimitur,aut potius vi ignis abſumitur. & hinc cum raro decoctum æque reſpondeat maiori, minorivè optatæ refrigerationi, vel calefactioni, iure nuſquam ſola maior, minorvè elixationis conſumptio ſimpliciter ipſi calidiori,frigidiorivè malo pellendo ſatisfacit. Ad hæc quod de alterantibus ipſi ligno permiſcendis aſſerunt omnes aduerſus vſum antiquum in Americis; & ſi noſtrorum temporum medicis nihil actum eſſe perſuaſum videatur, niſi quidquam ex qualibet mundi parte delatum ſuis medicamentis ſemper addant; vanum nihilominus vt plurimum eſſe certum putamus ligni permixti vſum,niſi in decoctionis fine quidquam ſuperaddendum imperemus,quod citra alterationem, eam guſtui iucundiorem, & gratiorem reddat, vt ſaccharum, mel, vel aliud ſimile; Namque præter hæc,ſi quis cum eo ſimplicium medicamentorum ſarcinã incoquere iubeat,eius neceſſario vim, & efficaciam ita obtundet,vt optatus minimè ſuccedat effectus, tum quia ſemper ſi plura in vnum mixta elixentur, ferè tertium quid caloris ope reſultat, quod aliud prorſus habet temperamentum ab illo vnius eorum

ſim-

ſimpliciter varium, vndè ſi lignum à toto agit temperamento, vt dictum eſt, quomodo lignum per elixationem aliena miſcella turbatum, alteratumvè, integras ad agendum vires poſſidebit? tum quia licet ſit poſſibile ligni vires proprias cum multis ita conuenire, vt illis lignum adiunctum, ad agendum multo validius fiat, quod tamen nos hæ ligni vires lateant, nec niſi ſeorſim illarum effectus experimento, & obſeruatione comprobati ſint, impoſſibile eſt ideo illis certam plurium miſcibilium decernere ſimpathiam, vel antipatiam, ita vt ſi in vnam, eamdemq; compoſitionẽ cõcurrant, ſeſe mutuo iuuent, atque corroborent, vel contra perimant, atque peruertant, quare non bene lignum cum omnibus conuenit, (excipio ſemper aquam puram) præſertim, quod vt plurimum obſeruamus noſtrorum Medicorum curationes vanas eſſe prorſus, & apparẽtes; quippè egros ſuo multifariam permixto ligno illudant potius quam perſanent.

Atq; his ita pręmiſſis, iam tempus eſt examinemus, non quid maleficæ pſeudoligni obſeruationes a nobis partim, & a viris doctiſſimis partim factæ, omnino præter rationem, & caſu contigerint, aut mauis neceſſario, & conſentaneè; vt idem ideo pſeudolignum pernitioſum, peſſimum, & pænitus abolendum habendum ſit; Demum verò contra, an eiuſdem pſeudoligni obſeruationes, quibus aduerſarij tantopere exultãt, & gloriantur, quibus inquam ipſi verè morbo gallico laborantes non paucos priſtine redditos ſanitati contendunt, an ſcilicet ſecundũ ratio-

rationem eſſe potuerint,nec ne, vt idē merito pſeudolignum tanquam verum lignum Sanctum intercurandum iuſtiſſimè recipiendũ ſit. Profectò quantum ad noſtras obſeruationes ſpectat, certi ſumus in eis nullos fuiſſe commiſſos errores; Quoniã primum ægris tale malum ineſſe prudenter creditum fuit,taliaq; tum interna,tum externa illi fuiſſe annexa ſimptomata,cui, ac quibus ligni medicamentum exiſtimaretur neceſſarium, quamobrem iure lignum ipſum, vt antea multum innoxiè præſcribebatur,ita deinceps rectè, & vtiliter etiam præſcribi poſſe opinatum eſt; etſi pſeudolignum eius loco per falſam fuerit impoſturam adminiſtratum; aliàs ſi iã pridem lignum Sanctum vtile erat, cur poſtmodum inutile, & noxium idem futurum eſt? an quantitatis error idipſum tale fecit? atqui nec quantitas conſuetam menſuram exceſſerat, nec demum aliàs experta menſura poſtpoſita, maiorem tunc aliam experiri tentatum eſt. Neq; attamen arguant in ipſa quantitate ideo commiſſum errorem,quia vel ob ligni nouitatē ea tunc nimia fuerit, vel ſaltem ob calidam ægrorum intemperiem, quæ refrigerantibus erat diligenter emendanda,alterandaq;. Quandoquidem ligni nouitas obeſſe non poterat, nec detrimentum aliquod patientibus inferre, poſteaquam teſtimonio Conſalui in Americis, vbi recētiſſimum habetur lignum,ea nunquam obeſt, etiam ſi lignum in maiori,ac ſumma adminiſtretur quantitate,lignũ inquam Inſulæ Sancti Ioannis, quod validius,& præſtantius eſtimatum eſt. Deinde vbi præuia adhibea-

tur

tur,tum corporis, tum humorum præparatio, non eget lignum correctione, ſiue quoniam operi eius aliena mixtura aduerſatur, vt dictum eſt, ſiue quoniam per Conſaluum, ea ipſa iuxta Americanorum conſuetum, numquam deſiderabatur; & certè hæc non ficta, ſed veriſſima putent aduerſarij, quoniam minimè ſimulatè inuenta. Sed fortaſſe dicent intempeſtiuè ſaltem, & præter omnem opportunitatem medicamentum hoc ligni fuiſſe, tunc adminiſtratum, perindeq; noxium, & pernitioſum extitiſſe. At quæſo valeant, & ſileant, poſteaquam præmiſſa omni tum corporis, tum humorum præparatione, illudmet ſemper adhibitum fuiſſe eſt obſeruatum. Inſuper neque vllum annexum malum, ſimptomavè fuerat, quod neceſſario ligni vſum retardandum indicaret. Et hæc porrò omnia, & ſanè maiora ſemper fuere præmeditata, adeo quod vanum ſit aduerſarijs, errorem tunc pridem commiſſum nobis inculcare. Et quod maximè negotium faceſſit, illud vnum eſt, quod non ſemel in vno, ſed pluries in multis obſeruatio à nobis, viriſq; doctis aliquot ex propoſito facta eſt, quemadmodum etiam quilibet, ſi illi commodè fuerit conceſſum, euidentiſſimè poterit experiri. Ergo pſeudolignum hoc cum pro ligno vero intercurandum aliquando ſuppoſitum fuerit, ea ſanè propter ægris damnum intulit, noxamq; peperit; quoniam neutiquam lignum ſanctum verum eſt, ſed omnino falſum, pernitioſum, & virulentum.

Reſtat modo, vt demonſtremus ſalubres aduerſariorũ obſeruationes omnes vel fictas omninò fuiſſe, vel caſu ſaltem inter multa per pſeudolignum per-

pe-

petrata damna illis animaduertere contigiſſe. Sanè quidem aduerſarij hoc ſuo pſeudoligno non paucos gallica affectos lue curaſſe mordicus contendunt, quoniam videlicet pſeudolignum ipſum verum ſanctumq; lignum putent, cuius proprium eſt gallicę lui aduerſari. At iam longè multum decipi eos ex demonſtratis eſt conſpicuum; quia cum lignum ſanctum hæc illa præſtet ſolum à toto temperamento, quod omninò variũ in pſeudoligno eſt, meritò impoſſibile etiam eſt hoc ſuo pſeudoligno luem gallicam aliquando aduerſarios verè curaſſe. An verò alia ligni ratione curationem ſint aſſequuti, vt ſæpe factum dicitur per Sarzam perillam,& Cinam, vtique rem diligenter examinanti planum erit. Etenim quod ipſi gallicam luem ſanauerint, difficile demonſtrabunt,quando poſſibile ſolũ ſit ipſos ægrũ à ſimptomatibus non paucis,ſolo medicamẽto quouis exiccanti,& victu non diſſimili,liberaſſe,diſſipato nempe eo, quo illa ſeruabantur pabulo; atqui luem gallicã prorſus extirpaſſe illis omnino fuit incertum,quin inquã nouis congeſtis humoribus, noua iterũ,eaq; ſæuiſſima aduẽtura forẽt ſimptomata. Et eo profectò magis,quod ne vnum quidem, quidquid garriant,niſi fortaſſe fingant,inter tantos,quibus vltra mille pſeudolignum aſſerunt adminiſtratum,deſignabunt,qui cum aliàs gallica lue afficeretur,deinceps tãdem perfectè per idem pſeudolignũ ſit ſanitati reſtitutus. Sed iam demus nunc fortè videri talem; nonne paſſim experimur in multis,poſt adhibita leuia aliquot artis præſidia,gallicum morbum ad longũ tempus deliteſcere,tandemq; repen-

tim denuo reſurgere, & deterius afficere laborantẽ? id certè frequenter noſtris tẽporibus euenit, quibus morbus iſte mitior factus, nõniſi per magnã cachochimiam foras erũpit; vt perindè niſi poſt sũmã artis diligentiam, ægrum iam omninò eſſe ſanatũ, demonſtrare ſit ferè impoſſibile. Poſt hæc vltimo reſtat vnum, quo aduerſariorum prætenſa experimenta ſine difficultate improbantur, nempè quantitas ſiue menſura, qua aliquando lignum Sanctum verũ, puta illud Inſulæ ſancti Ioãnis, quod præ cæteris validius eſt, adminiſtrari conſueuit, qua inquam impoſſibile eſt hoc pſeudolignum ab aduerſarijs fuiſſe adminiſtratum, & porrò ob ſummam, eamq; perniciosam ipſius acrimoniam, per quã inflammat, exurit, tandemq; ledit, atque corrumpit; ſiquidem tanta quantitate illud præſcriberetur, quis vnquam idẽ ſuſtineret? Neque eſt, quod hoc ego ſilogiſticis rationibus probare contendam, quando ſenſu proprio cuilibet experiri ſit conceſſum. Et ſi fortè dixerint egere correctore; Valeant quæſo, poſteaquã illud tantæ virulentiæ eſt, & perniciei, vt quomodolibet miniſtratũ non ſuſtineatur; niſi contingat ægrũ tanta frigiditate, humiditateq; præditum iri, quanta obtundendo illi ſat eſſe queat, qualem profectò irreperibilem cenſeo. Ex his verò conſequenter quacumque expectata opportunitate hoc ipſum pſeudo lignum ab aduerſarijs fuerit adminiſtratum, non eſt credibile ex ratione ægrotis profuiſſe, veluti contra credibile eſt ex ratione illis obfuiſſe quamplurimũ. Et commentarij noſtri hic finis eſto.

FINIS.

Errata per incuriam commiſſa, & quatenus licuit obſeruata, ſic corrigito, reliqua emendabit benigniſsimus Lector.

Facie 4. lin. 21. molliri, moliri. fac. 7. lin. 7. Guaioan, Guaiacan. 13. 16. circonſepti, circunſepti. deſtillationibus, diſtillationibus. 15. 11. non quid, nunquid. lin. 29. emiſſerit, emiſerit. 16. 7. tendioſam, tedioſam. 18. 5. ognoſcentes, agnoſcentes. lin. 30. ennarrauit, enarrauit, & vbicũq; duplici, n, fuerit impreſſum. 20. 10. caullo, cauallo. 24. 12. iudear, videar. 27. 30. troncum, truncum. 29. 29. curar, curan. 33. 16. ellici, elici. 39. 11. efficies, effigies. 40. 26. vellit, velit. 44. 3. tradduntitradunt. lin. 20. habundè, abundè, & vbicunq; cum littera, h, fuerit impreſſum. lin. 24. oſtenſtere, oſtendere. 45. 25. acurate, accuratè. 46. 27. ille, illam. 49. lin. 28. obſeruationu, obſeruationum. 51. 7. ennarraturus, enarratur. 53. 16. nucleum, nucleus. 55. 21. habetiora, hebetiora. 57. 13. calent, callent. lin. 16. enuarrata, enarrata. lin. 29. quæ fuerint, quæ apud aduerſarios fuerint. 58. 13. imbeciliori, imbecilliori. lin. 14. veram, verum eſſe. 61. 1. initatur, innitatur. lin. 17. ſubſtatifico, ſubſtantifico. 62. 10. rationẽ, ratione. 63. 29. perfecerit, perfecerint. 64. 7. acciddens, accidens. 72. 27. nes, nobis. 75. 29. temperamemtũ, temperamentũ. 76. 26. maius, mauis. 78. 27. accidus, acidus. 80. 24. pronuntias, pronuntians. 81. 30. in in, in. 83. 14. poteſtea, poſtea. lin. 21. tum, tam. 85. 11. ſummæ, ſummè. lin. 16. accidus, acidus. 88. 12. veluti puta, veluti. lin. 23. accidum, acidum. 89. 12. velle Gal., velle ipſe Gal.. 90. 14. ſũmæ, ſummè. 91. 11. peruenerint, prouenerint. 92. 12. nos quoq;, nos. 93. 4. habetans, hebetans. 96. 10. attrabilari, atrabilari. 97. 27. peruenerint, prouenerint. 100. 6. lignum habeat, lignum præmanibus habeat. lin. 25. acuratum, accuratum. lin. 28. parum, paruum. 101. 18. cæteris partibus, cæteris paribus. 102. 27. ellluceſcat, eluceſcat. 107. 20. pſeuuoligno, pſeudoligno. 109. 20. atenus, hactenus. 111. 8. preſtigio, præſtigijs. 114. 16. garriunt garriunt. 117. 27. vele, velle. 118. 27. Theph. Theoph. 126. 6. munere, munera. poluere, polluere. 127. 3. ſimilarem. ſimilarem interminatum.

Imprimatur ſi placet Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij.

B. Gypſius Viceſgerens.

Videat (ſi placet) D. meus Antonius Perſius, & referat in ſcriptis.

Fr. Io: Maria Braſichellenſis Sac. Palatij Apoſtolici Magiſter.

Legi diligenter Tractatum, cui titulus Demetrij Caneuarij, de ligno Sancto Commentarium, &c. atq; in eo nihil deprehendi, aut cum Fide Catholica pugnans, aut Reip. boniſq; moribus aduerſum, quin magnopere conſentiens, ac ingens iuuandi ſtudium rem medicam praeſeferens. Dignum ob id exiſtimo, vt manu emittatur, lucēq; accipiat. Datum Romae di 20. Iunij. 1602.

Antonius Perſius V.I. Philoſophiae, & ſacrae Theolog. D. Collegij Patauini Iuriſt. omn. minimus.

Imprimatur

Fr. Angelus Baronius Venetus Magiſter, & Reuerendiſs. Magiſtri Sacri Palatij Socius Ord. Praed.

96-24

KNM
872

H602
C221d

8° A-78